This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

**Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

**About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

HARVARD LIBRARY
AH 43AX Y

Digitized by Google

Riant 128
559
Huydecoper

Harvard College Library

FROM

.....

.....

.....

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Viro amplissimo gravissimo
Janssen

'CA

RBEM
TU,

AN,

SU,

EGIIS,
VA,

,

TTIT
IERUS

XII.

Digitized by Google

Digitized by Google

# *DISSERTATIO THEOLOGICA INAUGURALIS,*

DE

# SOLENNI JESU CHRISTI IN URBEM HIEROSOLYMORUM INTROITU,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

## HERMANNI BOUMAN,

*THEOL. DOCT. ET PROF. ORD.*

AMPLISSIMIQUE SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET VENERANDAE FACULTATIS THEOLOGICAE
DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN THEOLOGIA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

*IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,*

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO ET SOLENNI EXAMINI SUBMITTIT

THEODORUS CORNELIUS REGNERUS HUYDECOPER,

HORNANUS,

DIE IX M. SEPTEMBRIS, A. MDCCCXXIX, HORA XII.

TRAJECTI AD RHENUM,
EX OFFICINA PADDENBURGII ET SOC.
MDCCCXXIX.

Digitized by Google

Digitized by Google

OPTIMAE

MIHIQUE CARISSIMAE

MATRI,

TENERRIMO SEMPER AMORE A
ME PROSEQUENDAE,

*SACRUM.*

Digitized by Google

Digitized by Google

# PRAEFATIO.

*Academicis tandem valedicturus scholis, Praeceptoribus, Cognatis, Amicis caeterisque, si qui mihi contingant, Lectoribus tenue hoc offero opusculum. — Curriculi, quod per septem annos decurri, academici postremum spatium dies mihi attulit non unâ clade domesticâ tristissimos. Cum hujusce dissertationis scribendae initium fecissem, Patris, gravissimo morbo laborantis, amor, pensi naviter persequendi aut otium mihi aut animum eripiebat; quin per ultimos tres vitae terrestris, quâ dilectissimus Parens fruebatur, menses, unicum me ejus filium ab incepto prorsus avocabat opere. In coelestes mox abiit sedes carissimus ille Pater, cujus vel in me merita, sicuti par est, commemorare, vel universe justas praedicare laudes, non possum; vetante arctissimo eo vinculo, quo ei me conjunctum fuisse, semper, Deo gratus, agnoscam et laetabor. — Sed postea etiam sine intermissione in pensum incumbere mihi non licuit, semel iterumque alio me vocantibus officiis, quae, in dissertatione elaborandâ, valde mihi obfuerunt. Quod si perpendant aequi Lectores, et orationi ignoscent minus subinde eleganti, et parti-*

Digitized by Google

*tium minus concinnae dispositioni, et nimiae forsan moli, in quam nostrum crevit specimen, et* συμμετρίας, *sicubi deprehendatur, defectui. Etenim, urgentibus jam operis typographicis, rem conficere debuimus.*

*Caeterum, quod ad ipsam attinet dissertationem, duo tantum monenda supersunt.* Primum: *anno* 1738 Joannes Georgius Walchius *de eodem argumento commentationem scripsit,* Jenae *editam, cui eandem fere, quam nostro nos opusculo, inscriptionem posuit:* De Christi in urbem Hierosolymam introitu. *Hanc dissertationem, quam frustra nobis comparare conati sumus, laudavit* Koecherus, *in* Analectis Philologicis et Exegeticis in quatuor S. S. Euangelia, *ad Matth. XXI.* — Deinde: *nemini mirum accidat, nos de elegantissimo carmine* Bilderdijkii, *Poëtae summi, Introitum huncce Christi canentis, prorsus silluisse: nam haud sine magno dolore ab unâ alterâve ejus parte laudandâ abstinuimus, juris illius memores, quod tam severe vindicare solet librarius, cujus hîc res agi videri possit.* (1).

*Tan-*

(1) *Pulcherrimum carmen, quo Jesu, metropolin suam intrantis, laudes elegantissime canuntur, invenitur in Poëmatum fasciculo, qui inscribitur:* Vermaking; Rotterd. bij A. F. H. Smit, 1828, *pag.* 24-30. *Quae de librarii jure attigi, haec per ea illustrantur, quae dixerunt Viri celeberrimi* Clarisse *et* Tydeman, *in vitae* Ockersii *descriptione.* (Vruchten en Resultaten van een Zestigjarig leven. T. III. p. 24, 25.)

Digitized by Google

*Tandem sanctissimo eodemque jucundissimo perfungor officio, Vobis, Viri clarissimi! quorum mihi institutione uti licuit, gratum animum palam professus. Etiamsi enim omnium, quibus me obstrictum sentio, commemorare hic non possum nomina celeberrima; singulis tamen bona quaecunque apprecari, singulorumque in me merita gratâ mente conservare, nunquam desinam.*

*Liceat autem vestra saltem hic recensere nomina, quorum memoria cum nullus unquam ex meo pectore dies deleturus sit, vestrum hic mentionem non facere non possum. Itaque grati animi accipiatis sensus, quos verba exprimere non valent; et Tu, doctissime mihique carissime* van Slochteren! *quem amicum compellare inprimis gestio, cum amicâ tuâ benevolentiâ complecti haud recusaveris discipulum, cui, antequam ad Academiam dimitteretur, non tantum linguae Hebraicae tradidisti initia, sed, quod majus est, viam bene recteque vivendi, cum integerrimo exemplo, tum sapientissimis monitis, monstrâsti; — et Tu, clarissime* Heringa! *cujus cum publicâ tum privatâ institutione uti mihi contigit, quemque et alias et in difficillimis meis rebus, prudentissimum monitorem expertus sum; — et Tu, clarissime* Royaardsi! *qui societatis Christianae fata pragmatico, quod dicitur, studio et cognitione persequi me docuisti, cujusque amica domus mihi semper patuit; — denique Tu, quem non ultimum commemorare debueram, Promotor exoptatissime* Boumanne! *qui, prout ad sacros Libros intelligen-*

Digitized by Google

*gendos interpretandosque mihi dux fuisti praeclarus, ita nominatim in disfertatione conscribendâ illud mihi auxilium tribuisti, quod, nisi tua obstaret voluntas, prolixâ laudatione fuisset commemorandum! Tibi igitur Vobisque omnibus propitius adsit Deus ter Optimus Maximus! et diu incolumes vos servet in societatis Christianae et Patriae salutem! Hinc mox abituro discipulo hoc unum largiamini rogo, ut deinceps etiam vestrâ me complectamini amicitiâ, mihi ante omnia carâ, mihique facultatem faciatis, vobis postea etiam monitoribus ac studiorum moderatoribus utendi; quibus ne nunc quidem sine gravi damno me carere posse, quid est quod diffitear? —*

*Denique valeatis omnes, quos plures habuisse laetor, Amici mihi conjunctissimi! Vos inprimis, quibuscum saepius, vel literarum vel recreationis causâ, statutis horis convenire solebam, vel quibuscum, quo tempore peregrinationis amoenissimae, ante aliquot annos susceptae, desideratissimi mihi socii fuistis, interiorem familiaritatem contrahere licuit. Haud sine gravi dolore a Vobis discedo, bona quaecunque et fausta Vobis apprecans, speransque fore, ut amicitia nostra in perpetuum floreat et vitae lux nobis adsit:* verae enim amicitiae sempiternae sunt, quia natura mutari nequit.

CON-

Digitized by Google

# CONSPECTUS DISSERTATIONIS.

Praemonenda . . . . . pag. 1.

## PARS PRIOR,

QUA IPSA CHRISTI, HIEROSOLYMAM SOLENNITER INGRESSI, HISTORIA ET RES ADJUNCTAE EXPONUNTUR.

### SECTIO PRIOR.

DE IIS, QUAE SOLENNEM CHRISTI INTROITUM PRAECESSERUNT.

§
1. De ultimo itinere, quo Hierosolyma petiit Jesus. . . . . 5.
2. De iis, quae in Hierichuntis viciniâ facta sunt, solennis Christi Introitûs περιςάσεις quodammodo praeparantibus. . . . . 11.
3. De convivio, Bethaniae sexto die ante Paschatis festum habito. . . . . 15.

### SECTIO ALTERA.

DE IPSIS EUANGELISTARUM, SOLENNEM CHRISTI INTROITUM REFERENTIUM, NARRATIONIBUS.

§
1. Quaeritur, utrum omnes Euangelistae eundem narraverint solennem Christi Introitum? 21.

2.

Digitized by Google

§

2. Narrationum de Introitûs praeparationibus interpretatio (Matth. XXI: 1-6 Marc. XI: 1-6. Luc. XIX: 29-34.). . . . . pag. 26.
   *a.* Praemonitum. . . . . 26.
   *b.* De Introitûs die. . . . . 28.
   *c.* Duo discipuli in vicum dimissi. . . . . 30.
   *d.* Jesu praedictio de asinâ cum pullo. . . . . 35.
   *e.* De iis, quae legatis suis J. C. mandavit. . . 42.
   *f.* De legatis, Christi mandatum exsequentibus. 49.
3. Vaticinium Zachariae exponitur. (Matth. s. 4 et 5. Joann. s. 15 et 16. coll. Zach. IX: 9.). . . . . 53.
4. Narrationum interpretatio de Christo proficiscente eodemque vario honore affecto. (Matth. XXI: 7b-9. Marc. XI: 7b-10. Luc. XIX: 35-39. Joann. XII: 12-13 et 17-19.) 80.
   *a.* De Jesu, asinum conscendente. . . . . 80.
   *b.* De discipulorum populique *gestibus*, Christo honorificis. . . . . 85.
   *c.* De discipulorum populique *vocibus*, Christo honorificis . . . . . 89.
   *d.* De jubilantium spe Messiaticâ. . . . . 96.
5. Interpretatio narrationum de iniquis Pharisaeorum judiciis Christoque eadem refutante. (Luc. sect. 39 et 40. Joann. sect. 19. coll. Matth. sect. 15.) . . . . . 99.
   *a.* De Pharisaeorum in Christum odio. . . . . 99.
   *b.* De loco Joannis XII: 19. . . . . 102.
   *c.* De loco Lucae XIX: 39, 40. . . . . 105.
   *d.* De loco Matthaei XIX: 15, 16. . . . . 109.

6.

Digitized by Google

§
6. Dictorum Christi, in ſolenni itinere Hieroſolymae ſortem deflentis ejusque excidium vaticinantis, interpretatio. (Luc. ſ. 41-44.) pag. 112.
*a.* De ipſo Lucae loco. . . . . 112.
*b.* Aliorum quorumdam vaticiniorum collatio. . 127.
*c.* De Christi vaticiniis, per Hieroſolymae fata confirmatis. . . . . 130.
7. Historiae concluſio. . . . . 136.
*a.* De loco Matthaei XXI: 10. ſq. . . . . 136.
*b.* De iis, quae proxime Christi Introitum ſecutae ſunt, rebus gestis. . . . . 139.

## *PARS ALTERA.*

### DE CONSILIIS, QUAE CHRISTO, SOLENNITER HIEROSOLYMAM INTRANTI, VEL VERE FUERINT, VEL FALSO TRIBUTA SINT.

## *SECTIO PRIOR.*

### DE GENUINIS JESU, URBEM SOLENNITER INGREDIENTIS, CONSILIIS.

Praemonenda . . . . . 143.
1. De Christi conſilio, quo et Mesſiam ſeſe demonſtrare volebat, et hâc dignitate a discipulis civibusque ſuis agnosci. . . . . 145.
2. De Christi conſilio talem ſeſe Mesſiam demonſtrandi, qualem Zacharias quidem praedixerat, minime vero populus Judaicus exſpectabat. . . . . 155.

3.

Digitized by Google

§
3. De Christo, per huncce Introitum, ad mortem ex Patris voluntate subeundam, sibi viam sternente. . . . . pag. 161.
4. De Christo, per huncce Ingressum, ita honorem suum tuente, ut caveret, ne ipsum, tanquam maleficum, clam trucidarent inimici. 166.
5. De Christo, per solennem Introitum, sese non vi coactum, sed voluntarie mortem obire demonstrante. . . . . 171.

## SECTIO ALTERA.

### DE IIS, QUAE CHRISTO, SOLENNITER HIEROSOLYMAM INGREDIENTI, MALE TRIBUTA SUNT, CONSILIIS.

Praemonenda. . . . . 175.
1. De iis, qui Christi hunc Ingressum ludibrio habuerunt. . . . . 176.
2. De iis, qui nullum fere peculiare consilium in hocce Christi Introitu cerni statuunt. . . 178.
3. De C. F. Bahrdtii sententiâ . . . . . 183.
4. De C. F. Ammoni aliorumque sententiâ. 189.
5. De eorum sententiis, qui Jesum hocce Introitu terrestre regnum affectare voluisse statuunt. . . . . 192.

DE

Digitized by Google

DE

# SOLENNI JESU CHRISTI IN URBEM HIEROSOLYMORUM INTROITU.

## *PRAEMONENDA.*

Quod ſemper fere de ſcribendi materiâ cogitantibus accidere ſolet, ut de argumento eligendo diu incerti haereant, fluctuentque; id mihi quoque uſu venit disſertationem ſcripturo. Primum latisſime patens aliquod argumentum elegeram. De cujus vero difficultate a Praeceptoribus monitus, aliud praetuli, non prorſus disſimile illud, ſed minoris tamen ambitûs; quod cum mihi arrideret, illos quoque approbantes habebat.

Nimirum felices ſemper mihi viſi ſunt, quibus optimi ſummique Magistri vitam contemplari contingeret, quique ad ejus tum ingenium cognoscendum, tum agendi rationem ſanctisſimam, toti ſe applicare possent.



Digitized by Google

ſent. Hanc ego contemplationem, in ſtudia theologica incumbens, ſemper in deliciis habui. Atque hic animi mei ſenſus et veluti conformatio ad Christi nunc enarrandum ſolennem in patriae terrestris metropolin Ingreſſum me adduxit. Habet enim hicce eventus, neſcio quid, quod ſemper me vehementer alliceret. Animi illa in Christo ſimplicitas, quae hîc conſpicitur, cum ſenſuum ſublimitate conjuncta; ſedata illa ac placida ipſius mens, quam medias inter gratulantium acclamationes prodebat; conſiliorum denique, quibus ad agendum nunc adducebatur Dominus, ſapientia; haec igitur omnia ita me commovebant, ut ea, quam dixi, materia, prae caeteris omnibus mihi placeret. Praeſertim cum hic Ingreſſus multorum anſam dederit criminationum acerbisſimarum, a quibus ut optimum Servatorem defenderem, in ardentisſimis mihi votis erat. Neque enim aliud penſum novi, quod aut meo pectori jucundius ſit, aut futuro religionis divinae antiſtite dignius. Quam grave autem hoc factum duxerint Euangeliſtae, hinc liquido apparet, quod, in ſummo brevitatis ſtudio, quo ducerentur, nemo quisquam tamen eorum eſſet, quin memoriae illud proderet.

Primo obtutu, Jeſu hâc opportunitate agendi ratio plane diverſa videtur ab omni eius vitâ ante actâ. Antea honores omnes ſollicite effugerat; nunc populi exſpectationi videtur indulgere et turbae acclamationibus delectari; ac ſi jam cedat omnium voto, atque thronum conſcendere velit Patris ſui, Davidis Regis. Quae pugna ſi revera adeſſet, caderet veneratio, quam op-

Digitized by Google

optimo debemus Domino; tanquam homo fanaticus vel deceptor callidisſimus notandus esſet, atque a ſummo illo honoris loco deiiciendus, quo ſtetit per octodecim fere ſaecula. Quare utiliſsimum videtur, pulcherrimum conſenſum demonſtrare ſolennis huius Introitûs cum omnibus, quae de totâ Christi vitâ nobis ſunt prodita; item docere, quo vinculo haec res cum Domini perpesſionibus ſubſecutis ac morte violentâ conjungeretur. Et vero ſiquidem talia hic inveniantur in Euangelistorum narrationibus, quae non pugnent quidem ſecum invicem, ſed pugnae tamen ſpeciem quandam habeant; occaſio nobis non deerit ostendendi, quantum haec faciant ad Historicorum Sacrorum fidem confirmandam et candorem. Ergo mihi perſuaſum est, ſi minus feliciter ſuccedat auctoris conſilium, huius id imperitiae, minime vero materiae jejunitati tribuendum fore. Et vero confidant velim Lectores, valde me timere, ne argumenti dignitati non reſpondeat virium mearum ac doctrinae tenuitas; ac ſecum reputent iidem, quo indulgentius me judicent, non temere me hoc ſuscepisſe ſcribendi penſum; ſed illud me edere debuisſe qualiumcunque meorum progresſuum ſpecimen, quod a tironibus, doctoratum petentibus, lex requirit. Si vero non prorſus male mei cesſerint conatus; huius rei illi uni Domino ſummo a me tribuetur laus et honos, cuius ministerio, quod mox adire vehementer cupio, a teneris me obſtrinxi; cui et ipſi tenue hoc opusculum totum quantum commendo ac dico!



Digitized by Google

Hunc nobis ſcribendi ordinem ſequendum propoſuimus, ut *priore* Parte, ipſam exponamus *ſolemnis Introitûs historiam resque ei proxime adjunctas; alterâ* vero Parte, agamus *de iis, quae Christo hâc in re vel vere fuerint, vel male tributa sint, conſiliis.*

PARS

Digitized by Google

# PARS PRIOR.

## QUA IPSA CHRISTI, HIEROSOLYMAM SOLENNITER INGRESSI, HISTORIA ET RES ADIUNCTAE EXPONUNTUR.

## SECTIO PRIMA.

### DE IIS, QUAE SOLENNEM CHRISTI INTROITUM PRAECESSERUNT.

### § I.

*De ultimo itinere, quo Hierosolyma petiit Jesus.*

Ultimo vitae terrestris tempore, saepius quam antea, Hierosolymis degerat Christus. Neque enim impediverunt Judaeorum ipsi nocendi conatus, quominus, septem ante mortem menses, ad Tabernaculorum festum celebrandum, metropolin adiret. Ubi, sive per sacrum tantum hoc tempus, seu (quod aliis placet) per tres menses continuos commoratus sit; certe eo denuo tempore Hierosolymae fuit, quo festum celebrabatur, quod in perpetuam memoriam ordinatum erat restituti per Judam Maccabaeum templi (*Joann.* VII: 1. sqq. X: 22. sq.). Jam vero ita exacer-

Digitized by Google

cerbati erant Judaeorum Hierosolymitanorum animi, ut in tractum Transjordanensem secedere deberet Dominus (Joann. X: 40.). Hîc cum aliquamdiu commoratus esset, nuntio misso, ut aegrotanti fratri succurreret, rogârunt Lazari sorores. Quibus ut obsequeretur, relicto secessu, Judaeam petiit. Hâc occasione quidam interpretes ea facta esse putant, quae narrantur a Matth. cap. XX: 17-34. coll. Marc. cap. X: 32-52. et Luc. cap. XVIII: 31. – XIX: 28; quorum vero sententia nobis minus probanda videtur; cum propter narrationum seriem, quâ hac περιοδόσεις cum solenni Introitu coniunguntur, tum propter magnam turbam, quae eum sequebatur, cum transiret Hierichuntem. Haec enim historiae adiuncta melius ultimo itineri conveniunt, quam illi, quod cum discipulis tantum, non ita palam magisque festinanter, Lazari caussâ, susceperat. Rectâ igitur viâ Dominum Bethaniam petiisse credimus; quo in vico, vitam restituendo mortuo amico, cum in modum sibi concitavit Pharisaeorum odium, ut ab eo inde tempore, ipsum, pro salute patriae scilicet! interimendi publice consilium caperent (Joann. XI: 47-51). Non licuit igitur Jesu diutius in amicâ Lazari domo versari, nimis propinquâ illâ Hierosolymis. Etenim ejus tempus nondum aderat, nec ab hostibus capi volebat, antequam publice genti suae sese manifestâsset. Eorum itaque insidias effugit, urbem quandam petens minus notam, quae *Ephraim* dicebatur, deserto alicui adjacentem (Joann. XI: 54.). Ubinam sita fuerit haec urbs, nos, in tantâ opinionum diversitate, definire

non

Digitized by Google

non audemus. Eorum tamen ſententia reliquis probabilior videtur, qui illud oppidum contiguum fuisſe putant Bethelis deſerto, ſitumque inter hanc urbem atque Hierichuntem. Eadem itaque ſit urbs, de quâ Joſephus, *de Bello Iud.* Lib. V. c. 8. coll. IV: 9, mentionem facit, quaeque ab Euſebio in *Onomastico* ad vocem Ἐφρών, octo milliaria, ab Hieronymo vero viginti, ab Aeliâ (Hieroſolymis) distare dicitur. (1) Quicunque putant Dominum per paucisſimos tantum dies, (2) vel modo per unum diem ibi fuisſe, (3) illi mihi minus attendere videntur, *cum* ad dictum Joannis cap. XI: ſ. 54. Ἰησοῦς οὖν οὐκ ἔτι παρ-

(1) Conf. H. Relandi *Palaestina ex monumentis veteribus illustrata*, T. I. p. 367 et 377, 391 et 291, 636, denique 765. Van Herwerden, *Comm. in Euang. Ioannis*, T. IV. p. 225 et 326. Michaëlis, ad 1. Macc. XI: 34. item ad Matth. XX: 19. et Ioann. XI: 54. Hess, in opere: *Bibliothek der Heil. Geſch.* T. II. in quo occurrit *Diatribe* cui titulus: *Neuer Verſuch einer pragmatiſchen Erzählung der Leidensgeſchichte Jeſu*, p. 255-356. Qui caeteras de hujus urbis ſitu opiniones cognoscere velint, adeant Bachiene, *Heilige Geographie*, T. II. P. I. p. 28 et 29, P. II. 804. P. III. 896-898. IJ. van Hamelsveld, *Aardrijkskunde des Bijbels*, T. IV. p. 97, 240 et 241. Schutte, *Heilige Jaarboeken*, T. II. p. 248. Kuinoel, *Comm. in libros N. T. historicos*, ad Joann. Euang. cap. XI. ſ. 54. Cl. v. d. Palm, in verſione ſuâ, conjicit Ephraimum mari Mortuo fuisſe contiguum.

(2) Hess, *Leben Jeſu*, T. II. p. 441.

(3) Schutte, l. l. II. p. 249.

Digitized by Google

παῤῥησίᾳ περιεπάτει ἐν τοῖς Ἰουδαίοις, quo non verisimile videtur unius tantum diei commorationem innui; tum ad vocem διέτριβε, in eadem sectione, quae, coll. cap. III. f. 22. indicat Jesum per aliquod tempus, (mea si quid valeat sententia, per ultimum fere vitae mensem) ibi degisse. (1) Remotiorem illam urbem non eo consilio adiit Jesus, ut duram sortem effugeret, sibi destinatam, sed ut, constituto demum a Patre tempore, eam subiret. Appropinquante enim festo Paschali, ultimum suscipit iter, nullis deterritus aut hostium minis aut amicorum precibus. Jam antea eum hortati fuerant discipuli, ne in Judaeam proficisceretur (Joann. XI: 8. coll. VIII: 59, X: 31). Post illud tempus vehementer increverat Pharisaeorum odium; ac Senatus edictum dederat, quo unumquemque, cui locus, ubi degeret Dominus, cognitus esset, eum indicare juberet, (Joann. XI: 57.); nec tamen forti animo mortem adire dubitat Christus.

Septimo, ut videtur, vel octavo, (si statuendum est Jesum Hierichunte pernoctâsse, quod cum verbo μεῖναι (Luc. XIX: 5.) bene congruit) ante Pascha die, Ephraimum relinquit, discipulosque, tarde ipsum sequentes, intrepidi ducis more praecedit.

(1) V. v. Herwerden, l. l. T. IV. p. 326. Alia quaedam narrationum Euangelistarum dispositio invenitur apud Doctiss. B. v. Willis, *Proeve eener overeenstemming der Euangelisten*, P. II. p. 56 sqq. qui omnia fere, quae apud Matthaeum, inde a cap. XV. v. 1. leguntur, post illum in Ephraimi urbem secessum, accidisse opinatur.

Digitized by Google

dit. (1) Nec mirum erat discipulos timere, ne male exciperetur Hierosolymis Dominus: ipse enim, cum vix viam essent ingressi, eos a turbâ seduxerat, ut iis, apertius quam unquam fecerat, ea annunciaret, quae brevi eventura erant; quo id praesertim spectâsse mihi videtur, ut prohiberet quominus honore, in ipsum mox conferendo, exspectationes eorum de regno terrestri nimis excitarentur. His itaque eos allocutus est verbis: „ *Nunc ultimâ vice*, inquit, *adscendimus Hierosolyma;* „ *nam hoc Paschatis festo perficientur omnia, quae* „ *scripta sunt per Prophetas de Filio hominis: tra-* „ *detur enim Sacerdotibus primariis atque Scribis,* „ *qui capite eum damnabunt et dein gentibus tradent,* „ (Romanorum Procuratori) *et ibi illudetur, contu-* „ *meliis afficietur, conspuetur etiam, denique post-* „ *quam illum flagellaverint, eum interiment; nec ta-* „ *men morte tenebitur, at vero tertio resurget die.*" (Matth. XX: 17-20. Marc. X: 32-35. Luc. XVIII: 32 et 33.) (2) Haec, quamvis aperte dicta, non tamen

(1) Hoc enim efficere licet ex Marco X: 32 et Luca XIX: 28; quorum ille consulto scribere videtur: ἦν προάγων αὐτοὺς ὁ Ἰησοῦς; hic vero: ἐπορεύετο ἔμπροσθεν ἀναβαίνων εἰς Ἱεροσόλυμα. Cf. Schutte, l. l. T. II. p. 226. Nostra interpretatio, a Beza in versione expressa, a Grotio vera dicitur, cui Kuinoel ad Luc. XIX: 28. inprimis vero Kypke, ad h. l. multa opposuit. E Marci vero cum Luca consensu, magna quaedam vis huic interpretationi conciliatur, quae etiam est Doct. H. E. Vinke sententia, in Disp. de *I. C. Vaticinationibus*, p. 72 et 73.

(2) Vid. Vinke, l. l. p. 67-96.

Digitized by Google

men intellexerunt discipuli, qui ea cum praeiudicatis suis opinionibus minime componere possent. (Luc. XVIII: 34.) Nihilominus tamen id effecit illa Domini oratio, ut animus illis mali aliquid praesagiret, atque ut prorsus attoniti et timidi eum sequerentur. (1) Nec repugnant Salomes illae preces pro filiis, quibus antea iam modestiam graviter commendaverat Christus; quare nunc ipsi Domino desiderium suum prodere non audebant. (Matth. XVIII: 1, XIX: 30, XX: 20-22. Marc. X: 35. coll. Luc. IX: 55.) Quamvis enim gravia mala hic annuntiaret, ipsi tamen, quorum nomine loquebatur mater, eâ petitione significare voluerunt sibi persuasum esse, Magistrum omnia esse superaturum impedimenta, atque e pugnâ victorem evasurum, seque ita ei esse devotos, ut in humili quamvis eius conditione, eum Regem salutarent, ea petentes, quae Rex tantum posset regni civibus concedere, ut in imperii societatem admitterentur. Cum vero Dominum minime huic exspectationi favere viderent, contra ex hoc colloquio denuo pateret, eum unice de morte suâ instante cogitare, omniaque eo referre; magis anxii, quam laeti, et hi et ipsorum collegae, Hierichuntem advenerunt.

Quae

(1) Secuti sumus Heumanni interpretationem, a Kuinoelio valde laudatam, qui alteram partem Marc. X: 32 ita explicat: „Attoniti et timidi eum sequebantur, nam „ (καὶ) seduxerat (coll. Matth. XX: 17.) Iesus duode„ cim Apostolos, eosque edocuerat de fatis, sibi immi„ nentibus."

Digitized by Google

Quae vero in huius urbis viciniâ evenerunt, ſpem terrestris regni in eorum animis valde auxisſe videntur.

## § II.

*De iis, quae in Hierichuntis viciniâ facta ſunt, ſolennis Christi introitûs περιςάσεις quodammodo praeparantibus.*

Ex collatis ſecum invicem narrationibus, Matthaei XX: 29 ſqq. Marci X: 46 ſqq. Lucae XVIII: 35 ſqq. conſtat a Christo, Hieroſolymam adeunte, prope Hierichuntem coecos esſe ſanatos. Ubi quae naſcitur difficultas, ex varie definito a ſingulis Historicis ſanatorum numero ſanationisque loco, haec ſimplicisſime fortasſe tolli posſit, ſi viſum redditum esſe ſtatuamus tribus coecis; uni, anteaquam urbem intrâsſet Christus, narrante Lucâ, duobus aliis, cum ex eâdem exiisſet, referentibus partim Matthaeo, partim Marco. Marcus enim, unum tantum memorans, quippe qui notior esſet, Bartimaeum, minime cum Matthaeo pugnare cenſendus est, qui alterius quoque ſanati hominis mentionem facit. Nec vero mirum videatur velim, Jeſum, qui alias decem ſimul leproſos ſanâsſet, nunc eodem fere tempore tribus ſuccurrisſe coecis. Quidquid ſit (nam de re incertâ nolo confidentius quid ſtatuere); ſinguli hi dicuntur Jeſum publice *Filium Davidis*, h. e. ex Judaeorum uſu loquendi, *Meſſiam* compellâsſe, atque ut ſui miſereſceret rogâsſe. Objurgantibus quamvis atque impedire conantibus iis qui adſtabant, per-

Digitized by Google

pergunt tamen, eâdem ratione Jesu compellando eiusque auxilio implorando, coeci. Quid multa? Christus, iis ad se advocatis, voti eos compotes reddit. Atque hoc ita facit, ut utrique certe eorum, de quibus Marcus et Lucas referunt, hanc impertiret, aliorum obiurgationi valde contrariam, laudem: *Fides tua*, inquit, h. e. fides, quam mihi Messiae habuisti, *te servavit*.

His igitur in rebus gestis eorum, quae mox solennem Christi Introitum illustrem reddiderunt, praeparatio quaedam nobis cerni videtur. Quod quo magis elucescat, agite, videamus, quam diversâ prorsus ratione in simili quâdam opportunitate antea egisset Jesus; illo nimirum tempore, cum, referente Matthaeo IX: 27-31, duo item coeci eum prosequerentur, eâdem editâ voce: *Miserere nostri, o Fili Davidis!* Tunc itaque, cum nondum tempus advenisset, quo palam se Messiam profiteri vellet, opem implorantes miseros non palam allocutus erat, eorumque nullâ veluti ratione habitâ, in viâ progressus erat. Prope Hierichuntem contra, qui ipsum, simili honoris titulo impertito, alloquebantur, coecos, hos non continuo quidem, sed mox tamen tam amice compellat, ut satis ostendat, sibi tum eorum obiurgatores displicere, tum ipsos probari. — Porro priores illos coecos a turbâ seductos, in domo privatâ, paucissimis praesentibus testibus, sanârat. In ultimo vero, quod spectamus, itinere, eodem malo laborantes, coram omnibus, ad se advocat, et, magnâ adstante coronâ, non malo tantum eos liberat, sed palam etiam, quod Messi-

Digitized by Google

ſiam ipſum agnoscant, laudat. — Antea denique ſanatos a ſe prudenter dimiſerat, nec permiſerat ut collati in ſe beneficii notitiam ad alios propagarent. Nunc vero, nullâ eiusmodi cautione interpoſitâ, iis, qui coeci fuerant, ſe in itinere comitandi veniam dat. Quo fiebat ut hi, quotiescunque vellent, coram magnâ illâ, quae Christum comitabatur, hominum multitudine, de patratis ab ipſo miraculis, testimonium dare possent. Nec dubitandum videtur, quin, per totum illud iter, eo prae caeteris honoris titulo, iterum iterumque Soſpitatorem ornârint Bartimaeus eiusdemque liberationis compotes.

Quorſum haec disputata? Ut conſtet nimirum, quomodo haec ſolennem praepararent Introitum eiusque adiuncta. Vix unquam ſane tam paratam civibus occaſionem praebuerat Jeſus Mesſiam ſe agnoscendi. Caverat plerumque ne eorum, qui ipſum tam honorifice compellârant, voces nimis late divulgarentur. Nec raro easdem de industriâ cohibuerat. Nunc vero coecorum acclamationibus haud ambigue favere videmus Dominum. Nunc miraculorum ſuorum testes eos ſibi adſciscit. Nonne ita ſponte ſuâ in laetisſimam ſpem erigebantur discipuli, et quicunque, festum Paſchale adeuntes, Christo ſe comites dabant, fore ut hoc potisſimum tempore Mesſiam ipſe ſe demonſtraret? Non mirum profecto, post haec praegresſa, laetâ complurium acclamatione exceptum esſe, cum Hieroſolymam intraret, Dominum.

Veruntamem cavendum erat, ne populi ſpes inaugurandi mox regni Mesſiatici, per coecorum ſanatio-

tionem atque acclamationem excitata, ad tumultum ciendum novasque res moliendas ipsum adduceret. Hoc itaque egit, ne de aliis sapientissimis Christi consiliis dicam, Dominus, cum, referente Luca, XIX: 1-10. Zacchaei domum intraret. (1) Principem hunc portitorem a civibus contemptui habitum esse, liquido apparet ex sect. 7. Nihilo minus tamen de arbore, quam Christi visendi caussâ conscenderat, palam ipsum hic devocat, ac velle se apud eum divertere coram omnibus significat, et continuo hoc exsequitur consilium. Quam rem aegerrime latam esse a populo, diserte docet Lucas. Haec igitur Zacchaei salutatio, alias etiam propter caussas utilissima, hanc potissimum, ex Iesu consilio, vim habuisse videtur, ut temperaretur quodammodo populi spes Messiatica, atque ut multi ab ipso sequendo deterrerentur, qui coelestium cogitationum inanes, terrestria tantum ac sordida spectarent. Accommodatissimum quoque nunc erat Christi ad Zacchaeum dictum, quod Lucas, sect. 10, prodidit, ut discipulos doceret, se ad homines potius peccato miseros servandos venisse, quam ad terrestre illud, quod plerique spectarent, regnum condendum.

Nec

(1) Videtur domus illa in magnâ viâ, quae Hierosolyma ducebat, fuisse sita. Cf. Luc. XIX: 1. Nullum enim exstat indicium, Jesum cum Zacchaeo Hierichuntem reversum esse; omnia vero docent, haec in viâ accidisse. Recte Rosenmuller ad h. l. qui verba Grotii sua fecit: „*Nulli unquam condixit Jesus non vocatus, nisi ei, qui prae verecundiâ vocare ipsum non auderet.*"

Digitized by Google

Nec tamen impediebat Christi erga Zacchaeum benevolentia, quominus magis magisque aleretur discipulorum, qui ipsi constantius adhaerebant, exspectatio. Quam nimirum non honor tantum palam a Bartimaeo sociisque in Magistrum collatus, nec ab eo repudiatus, augebat, sed Hierosolymorum etiam vicinia, quam urbem sine ullo eum adeuntem videbant metu, et insignis ipsum comitantium Galilaeorum numerus, qui nihil non in eius commodum ausuri videbantur. Haec eam in ipsorum animos vim habuisse videntur, ut nunc vel maxime terrestre illud, quale sibi fingebant, *Dei regnum* constitutum iri considerent. Quam eorum spem corrigere voluisse Dominum, sapientissimâ illâ informatâ parabolâ, quam prodidit Lucas XIX: 12 sqq., ipse hic, sect. 11, satis diserte significat Euangelista.

## § III.

### *De Convivio, Bethaniae sexto die ante Paschatis festum habito.*

His, quae attigimus, dictis gestisque, tranquillo animo in itinere progressus, J. C., sabbathum celebraturus *Bethaniam* venit, qui vicus erat, prope montem Oliveti, quindecim stadiis ab Hierosolymae urbe distans, atque a magnâ, quae eo ducebat, viâ paullulum remotus. Eodem fere tempore multi eorum, qui Jesum comitati erant, Hierosolymam venisse videntur, atque ibi laetum nuntium de jamjam adventuro magno Prophe-

Digitized by Google

pheta sparsisse. Quo ipso dubitatio tollebatur, quae in multorum animis nata erat, utrum nunc etiam, post ea, quae in ipsum machinati erant proceres, festum aditurus esset Servator. (Joann. XI: 56, 57.) Eodem autem die multi Hierosolymitani Bethaniam petierunt, ut Iesum conspicerent eumque, quem in vitam revocarat, Lazarum. Christum invenerunt convivio accumbentem, in Simonis cuiusdam domo, qui Lazari, ut videtur, consanguineus erat, quique, anteaquam a Servatore sanaretur, leprâ laboraverat; unde *leprosi* cognomen traxerat. Ibi Lazarum quoque conspiciebant, atque ita de miraculi veritate sibi persuadebant, cuius famam nullâ non ratione obscurare conati erant principes Iudaei. Hierosolymam autem reversi, ibi Christi metropoleos mox adeundae consilium, de quo fortasse ab ipso certiores facti erant, multis annuntiâsse videntur. (1)

Sed quoniam de convivio, Bethaniae habito, dicere incepimus, pauca de eo addamus. Silet de eo Lucas, cuius narratio, VII: 36-50, plane diversam rem persequitur. (2) Verum eiusdem notitiam debemus Matthaeo XXVI: 6 sqq. Marco XIV: 3 sqq. Joanni XII: 2 sqq. — Sunt quidem, qui aliud a Joanne, aliud

a

(1) Similis etiam Celeb. Clarisse coniectura est, in opere nuper edito: *Tafereelen uit de levens- en lijdensgeschiedenis van den Heere J. C.* I. p. 77.

(2) A Luca idem convivium memorari, quod caeteri attingunt, statuit Schleiermacher, *über die Schriften des Lukas, ein Kritischer Versuch*, 1817. p. 111. sq.

Digitized by Google

a priori utroque Euangelista convivium memorari putent (1). Nec nego, ne de levioribus aliis dicam difficultatibus, temporis definitionem molestiae quid habere. Nam Matthaeus et Marcus post memoratum jam vaticinium de iis, quae post biduum in Paſchate eventura esſent, nostram historiam referunt; Joannes, ſex ante hoc festum diebus, convivium paratum esſe narrat. Veruntamen probabile non est, bis, tribus tantum aut quatuor diebus interjectis, idem idque in eodem factum esſe vico; aut discipulos, ſemel a Magistro reprehenſos, tam brevi ſpatio elapſo, iterum judicium prodidisſe, Domini ſententiae vehementer repugnans. Quid multa? Matthaei Marcique narratio hic veluti retrograda esſe videtur, ac rerum potius quam temporis ordinem ſequi. Nec incommode ſane locum huic historiae tribuerunt, inter memorata ab ipſis conſilia de Christo necando, et inter relatos eorum exſequendorum conatus, medium; praeſertim cum ea, quae Bethaniae facta ſunt, ad neſaria Judae propoſita maturanda, maximam vim habuisſe probabile ſit. Tandem ſententiae, quae ſexto ante Paſcha die hoc convivium paratum esſe ſtatuit, duplex, ne de caeteris dicam

(1) Praeter Lightfoot aliosque, huc referendi Wolff, cujus conff. *Horae Hebraicae et Talm.* in h. l. et, quem non postremum memorare debueram, Melanchthon, qui, in *ann. in Euangg. diebus dominicis et festis propoſitis*, haec habet: „ *Existimo diverſa convivia recitari: Joannes narrat* „ *convivium ſexti diei ante Paſcha, Matthaeus convivium* „ *tertii diei ante Paſcha. Haec nihil habent abſurdi.*"



Digitized by Google

cam, favet momentum historicum. Primum enim Judaei lautioribus coenis instituendis sabbatho finem imponere solebant. (1) Deinde Judas post hoc convivium Bethaniticum adiit Synedrium; nec verisimile est eum id tam sero fecisse, quam facere debuit, si Matthaeus et Marcus temporis ordinem hîc secuti esse censendi sint.

Eodem igitur die, quo Bethaniam venerat Christus, domum adiit Simonis, cujus in aedibus quae vesperâ parabatur coena, haec instituta fuisse videtur in honorem Domini, de quo nunc adventuro antea jam certiores facti fuerint hujus amici, eum pagum incolentes. Hoc itaque convivio parato demonstrabat Simon, se adeo non Pharisaeorum minas timere, ut, quem ipsi in-

(1) Conf. inter alios Hess, *Leven van Jezus*, T. I. p. 318 sqq. (ed. Belg.) Paullo aliter rem accepit Erasmus in *Paraphr. in Euang. Joannis*, Opp. T. VII. Basileae ex off. Frobenianâ A°. 1511. p. 448. haec dicens: „ *Jesus igitur* „ *sciens illos certum consilium cepisse de se occidendo, et jam* „ *instare tempus, quo volens decreverat immolari agnus im-* „ *maculatus, pro salute mundi, noluit timere diutius, sed ve-* „ *lut occurrens ad victimam, septimo ante Paschae festum die,* „ quo Judaei soliti sunt splendidiore coenâ agnum paschalem „ ceu prolibare, *reversus est in Bethaniam, simul ut recen-* „ *tis miraculi memoriam renovaret et resurrectionis spem dis-* „ *cipulorum animis imprimeret, quos sciebat suâ morte vehe-* „ *menter esse perturbandos.*" — De coenis illis in fine sabbathorum institutis constat etiam, per exemplum *Luc.* IV: 38 et 39. ubi narratur matrem Petri Jesu ministrâsse, postquam hic e synagogâ venerat.

Digitized by Google

internecino odio prosequerentur, hunc honorifice admodum excipere non dubitaret. Nec ignorâsse hic videtur, quid factura esset Maria. Haec enim cum accumbenti Christo appropinquâsset, pretiosissimo oleo nardino ejus caput pedesque perfudit, suisque ipsa capillis absterſit. Non est mirandum, tam copiosam sumptuosamque non capitis tantum, quod minus insuetum erat, sed pedum etiam unctionem Judae caeterisque discipulis contrariam visam esse Magistri menti, qui externi honoris nunquam se cupidum demonstrâsset. Verum enimvero hunc, etsi regium fere, honorem lubenter ipse accipit et palam approbat. Nimirum aderat jam tempus, quo *Messiam* sese populo suo demonstrare vellet. Neque amplius erat, quare amicos prohiberet, quominus in ipsum conferrent honorem, magno illi Regi debitum; dummodo eâ id mente facerent, quae ipsius deceret cultores. Fecit id sane Maria, quae erroribus de Messiae regno terrestri, magis quam ipsi Apostoli, immunis fuisse videtur, quamque, non tantum propter sinceri amoris, quo ipsum prosequeretur, testificationem, laudavit Servator, sed hâc etiam potissimum de caussâ, quod, side Magistri vaticiniis habitâ, nec de proximâ ipsum manente morte dubitans, ipsius corpus ad sepulturam, quae brevi instaret, veluti pollincturâ praepararet. Paucis ut rem complectar, per rationem illam, quâ regium prope honorem in se a Mariâ collatum accepit, et per laudes, quibus ejus consilia prosecutus est, voluit efficere, *tum* ut cuncti viderent quo honore ipse, quamvis modestus, se dignum judicaret, *tum* ut omnia a se referri



Digitized by Google

perſpicerent ad inſtantis illius mortis cogitationem, quâ in ipſo jucundisſimo amicorum conſortio ſemper plenus esſet Servator. (1) Ita ad Jeſum Mesſiam agnoscendum, ſolennemque ejus postero die Introitum debitâ cum veneratione comitandum diseipulorum animi praeparabantur; ſimul vero a terrestribus tantum ſpectandis iidem avocabantur. Atque haec fuerunt, quae memorabilem illum praecederent eventum, quem deinceps ſpectabimus.

(1) Placidam hâc in re Jeſu mentem animadvertamus oportet. Cf. Reinhard, *Plan van den Stichter des Christendoms*, p. 371 et 372.

SEC-

Digitized by Google

# SECTIO SECUNDA.

## DE IPSIS EUANGELISTARUM, SOLENNEM CHRISTI INTROITUM REFERENTIUM, NARRATIONIBUS.

---

### § I.

*Quaeritur, utrum omnes Euangelistae eundem narraverint solennem Christi Introitum.*

Plura sunt argumenta, quibus probare conati sint viri docti, Joannem XII: 12. sqq. historiam narrare diversam ab eâ, quam Matthaeus XXI: 1 sqq. item Marcus et Lucas locis parallelis, prodiderant. Haec argumenta, in unam summam collata, huc fere redeunt:

„ Continuata priorum Euangelistarum de ultimo Christi itinere narratio, non potest ita disjungi, neque ita potest in eam convivii, Bethaniae habiti, historia interponi, sicuti fieri debeat, ut haec eorum narratio eadem habeatur, quae Joannea. — Marci XI: 1. et Lucae XIX: 29. dictum de Jesu *ἐγγίζοντι εἰς* Βηθφαγὴ *καὶ* Βηθανίαν, docet ipsum tum rectâ viâ Hierichunte petiisse Hierosolyma. — Priores Euangelistae ex vico quodam asinum arcessitum esse a Christo dicunt, quem tamen, ex Joannis narratione, in viâ ipse invenerit. — Alii sunt, qui apud *illos* honore Jesum prosequantur, alii,

Digitized by Google

alii, qui apud Joannem; nam apud hunc cives hic commemorantur Hierosolymitani. — Introitus ante convivium collocandus est: nam per illum demum Magistri adventum comperuerant Judaei; quo facto Bethaniam deinceps adierunt. — Si Jesus antequam in Hierosolymae urbem ingressus esset, Bethaniae pernoctâsset, ex hoc vico, non aliunde, asinum sibi petiturus fuisset. — Denique, si eundem, quem priores Euangelistae, Christi Introitum narrâsset Joannes, nequaquam hic potuisset aut templi purgationem atque aegrotorum sanationem silentio praeterire, aut narrationi de laeto hoc die hunc imponere finem, ut significaret Jesum, vehementer commotum ac tristitiâ fractum, multitudinis sese consortio subduxisse."

Haec praecipua sunt argumenta, quibus eos, qui a Joanne eandem, quam a reliquis, historiam narrari putant, refutare conati sint alii; in quibus inprimis memorandi sunt viri clarissimi Paulus (1) et Schleiermacherus. (1) Hi nimirum, quorum prior, inprimis in opere nuperrime edito, quod *Jesu vitam* inscrip-

(1) In *Hist. Crit. Comm.* P. III. p. 84 sqq. ed. 2. et in opere: *Das Leben Jesu*, etc. ubi vid. *der Text-Uebersetzung*, 2 *Abth.* § 161 et 164. *Ueberblick des Lebens Jesu*, p. 19 et 22. 1ster *Theil*, 2te *Abth.* denique *Euangelische Geschichts-Erzählung*, § 161. p. 82-85 et § 164. p. 91-93.

(2) *Ueber die Schriften des Lukas, ein Kritischer Versuch*, I. p. 243-246. — De Pauli et Schleiermacheri sententiâ cf. inpr. cl. Lücke, *Comm. in Johannem*. T. II. p. 335. seqq.

Digitized by Google

ſcripſit, latius ſuam ſententiam exornavit, ἐναντιοφανείαις, quae in Euangelistarum narrationibus inveniuntur, tantam vim tribuunt, ut, etſi in nonnullis a ſe invicem abeuntes, hâc tamen in re conſentiant, quod Christum ultimis vitae diebus, *bis* ſolenniter Hieroſolyma ingresſum esſe ſtatuant. Priore Introitu, ex eorum ſententiâ, ante ſabbathi initium, Hierichunte Hieroſolymam profectus est, quâ de re tres priores tantum referant Euangelistae. Posteriore Introitu, aut postero die, aut biduo post, ex Bethaniae vico metropolin adiit Servator; cujus rei notitiam Joanni debeamus. Ita illi.

Laudandi certe hi eorum ſunt conatus Euangelistarum narrationes in concordiam redigendi; verum enimvero non deſunt, quae argumentis, pro narrationum diverſitate probandâ allatis, opponi posſint. Conſtat enim ſaepius quaedam ab Euangelistis fuisſe omisſa, nec ſuo loco poſita; quod inprimis valet de ultimo illo itinere. Omnes praeter Joannem ſilent de urbe *Ephraimo*, unde iter ſuscepit Jeſus; Zacchaei historiam unus Lucas memorat; et ipſum illud convivium, de quo antea jam nonnulla diximus, a Matthaeo et Marco ſuo loco praetermisſum esſe, cl. Paulus etiam concesſit. Quidni itaque ſtatuamus, convivium in priorum Euangelistarum ſerie historicâ ante Introitum esſe inſerendum? Praeterea ſententia, quae priorem aliquem Introitum a Joanne neglectum ſtatuit, ſimplici ejus narrationi, quae arcte cum praecedente cap. XI. cohaeret, plane est contraria. Postquam enim multos dubitâsſe dixerat, utrum Jeſus, festi illius tempo-

re

Digitized by Google

re Hierosolyma aditurus esset, statim subjungit, eum sexto ante Pascha die, *non* Hierosolymam, sed Bethaniam venisse, quod nequaquam ita enuntiare potuisset, si Christus eo jam die metropolin adiisset. — De formulâ, apud Marcum et Lucam occurrente, εἰς Βηθφαγὴ καὶ Βηθανίαν suo loco videbimus. — Quod Joannes minus definite dixit de asino in viâ invento, hoc facile suppleri potest ex pleniore caeterorum narratione, qui fusius hanc historiae partem persecuti sunt. — Nequaquam, quod putat cl. Paulus, alii sunt, qui apud Joannem, alii qui apud caeteros, honore Christum afficiant. A civibus enim Hierosolymitanis, apud Joannem, bene distinguendi sunt ii, qui dicuntur magnâ multitudine Christo obviam ivisse. — Judaei qui Jesum Bethaniae salutârunt, ab iis qui cum Domino iter fecerant, de illius adventu certiores erant facti; quare ex istâ salutatione minime sequitur, Introitum ante convivium esse ponendum. — Quod non ex Bethaniâ, sed aliunde potius asinum sibi petiit Dominus; hoc per multas fieri potuit caussas, nunc nobis ignotas, quae tamen cum praesenti disputatione nullam conjunctionem habere videntur. — Quod praetermisit Joannes templi purgationem aegrotorumque sanationem; idem hic fecit, quod saepe alibi, ut non repeteret, quae priores Historici satis jam explicuerant. — Minime cl. Paulo concedere possumus, in Joanneâ illâ narratione prorsus alio modo Christi animum informari, quam in *Synopticorum* relatione. Nam antea jam vidimus, Dominum nostrum et in toto illo itinere suam mortem continuo sibi repraesentâsse, et

nunc

Digitized by Google

nunc etiam, parabolâ quâpiam propositâ, populi Messiam repudiantis, miserum fatum praesignificâsse. Quid, quod hoc ipso tempore, urbis, cui appropinquabat, sorti *illacrymatus esse*, non a Joanne, verum a Luca (XIX: 41.) diferte dicatur! — Tandem quae statuit cl. Paulus de Joanne, qui narrationi de die, quo posteriore vice Hierosolymam intraverit Christus, sect. 20-36 finem imponat, haec, ne quid gravius dicam, valde incerta sunt, et partim etiam cum praesenti re non conjuncta.

Quae omnia cum ita sint, sic rationem concludo. Quoniam difficultates, quae sententiam premunt, quae unum fuisse statuit solennem Ingressum, probabiliter tolli possunt; et quoniam admodum improbabile est, eandem actionem extraordinariam, iisdem adjunctis rerum περιστάσεσι, bis, tam brevi interjecto spatio, nunc praesertim a Domino, modestissimo illo inutilemque pompam respuente, repetitam esse, nec de iterato hoc Introitu quidquam ab ullo Euangelistâ memoriae prodi; ideo existimandum est, semel tantum, ultimis vitae diebus, solenniter metropolin ingressum esse Christum; cujus rei gestae tempus ex Joanneâ narratione est definiendum. (1)

Minime etiam probanda est altera quaedam Schleiermacheri opinio, quam, quod ad summam rei attinet, probat Lückius, quâ statuit *Lucae*, nostram

(1) Eadem fere dicit cl. Lückius l. l. p. 338, nonnulla tamen addens, cum meâ certe sententiâ non concinentia.

Digitized by Google

tram historiam narranti, majorem fidem habendam esse, quam *Matthaeo*, in cujus nimirum narratione nonnulla inveniantur minus juste ac vere informata. Enimvero quod in Matthaeo reprehendit, *duorum* coecorum, prope Hierichuntem sanatorum, commemorationem; hanc rem supra jam, quantum opus erat, attigimus. Caeteras criminationes infra, singula loca tractantes, ita, nisi nostra nos spes fallit, diluemus, ut liquido appareat, Viri clarissimi sententiam de Matthaei narratione, non a teste oculato profectâ, nullo satis firmo superstructum esse fundamento. Unam hanc addimus animadversionem, ipsas, quae apud nostros hic Historicos inveniuntur, ἐναντιοφανείας certiores reddere eorum narrationes, quas ita elucescat non ex iisdem, sed ex vere diversis ductas esse fontibus.

## § II.

### *Narrationum de Introitûs praeparationibus interpretatio* (Matth. XXI: 1-6. Marc. XI: 1-6, Luc. XIX: 29-34.)

#### *Praemonitum.*

Primum hic verbulo monendum videtur de copiosâ illâ atque longiore narratione earum rerum, quae Introitum praecesserunt eamque praeparârunt, cum contra ipse solennis Introitus multo brevius commemoretur. Ea simplicissima narrandi ratio, quâ fuse alicujus rei praeparatio, brevissime vero res ipsa refertur, sae-

Digitized by Google

ſaepius apud N. F. invenitur Historicos. Prae caeteris hoc animadvertitur iis in locis, ubi mandata Domini proponuntur a discipulis exſequenda. Attendamus, ut dicta exemplis confirmentur, ad praeparationem eorum itinerum, quae tum duodecim Apostoli, tum ſeptuaginta Jeſu discipuli, ipſo volente, per terram Judaicam ſusceperunt: Matth. X et XI: 25-30. Marc. VI: 7-13. Luc. IX: 1-6 et X: 1-17. Jeſus duodecim ſuos dimittens Apostolos, ut de his primum videamus, plurima iis mandata dat, miraculorum peragendorum ipſis potestatem tribuit, ac praecepta iis injungit multa, in itinere obſervanda. Fuſe haec omnia a Matthaeo narrantur; Marcus et Lucas brevius quidem, ſatis copioſe tamen et ipſi, hujus itineris praeparationem exponunt. Verum de ipſo itinere, de iis quae peregerint discipuli ac de modo, quo in illâ peregrinatione a civibus ſuis excepti ſint, Matthaeus ne verbum quidem dicit. Ea quidem, quae inveniuntur cap. XI. ſ. 24-29, gratias fortasſe continent, quas Jeſus Patri agat pro felici hujus itineris ſucceſſu. Sed certi nihil de rei exitu nobis innotuisſet, niſi Marcus et Lucas breviſſime nobiscum communicâsſent, tum illud iter a discipulis fuisſe ſusceptum, tum eos, dum in eo verſarentur, annuntiando Ἐυαγγελίῳ, adhortando homines ut ſeſe converterent, aegrotis oleo ſanandis atque curandis daemoniacis operam dediſſe (Marc. VI: 12, 13. Luc. IX: 6.). Idem plane videmus in ſeptuaginta discipulorum peregrinatione, per omnes urbes, quas ipſos Jeſus adire volebat, inſtitutâ. Mandata, quibus hoc iter regi deberet, Lucas tradit

X:

Digitized by Google

X: 1-16, de ipſo itinere nihil refert; tantum narrat ſect. 17. legatos rediisſe magnopere gaviſos, ideo maxime, quod daemones etiam ſibi, Jeſu nomine et auctoritate obedivisſent. — In eodem genere notandum est mandatum, quod duo acceperunt discipuli coenam Paſchalem praeparandi apud hospitem quemdam, cujus nomen ipſis non ſignificabat Magister. Hoc mandatum a Marco et Luca praeſertim copioſe enarratur (Marc. XIV: 12-16. Luc. XXII: 7-13. coll. Matth. XXVI: 17-19). Sed iidem obſequium a discipulis praeſtitum brevisſime commemorant. Quod hîc verbulo monuisſe ſufficit, cum infra denuo de hoc mandato dicendi opportunitatem habituri ſimus. Nunc tantum obſervamus hanc narrandi rationem, ab artificioſâ partium concinnitate alienam, egregie ſimplicitatem Euangelistarum demonſtrare, qui nullam nimirum narrando artem ſequantur. (1)

## *De Introitûs die.*

Ut ordine procedat nostra disputatio, nunc paucis videamus oportet de die, quo collocandus ſit Introitus.

Jeſus, prouti antea vidimus, ante ſabbathi festum, die octavo menſis Niſan, nostro die Veneris, Hierichuntem reliquerat et vespertino tempore, ineun-

(1) Cf. doct. N. van der Tuuk Adriani, in disſert. theol. inaugurali: *de ultimarum Christi perpesſionum περιστάσεσιν, ab Euangelistis ex vero narratis*; p. 53-55.

Digitized by Google

eunte ſabbatho, nono die menſis Niſan, Bethaniam venerat, ubi post peractum cultum Deo offerendum, cum amicis in domo fuit Simonis. Ita enim accipiendam esse duximus temporis accuratam definitionem, quae occurrit Joann. XII: 1. πρὸ ἓξ ἡμερῶν τοῦ πάσχα· praetermittentes conſulto varias disputationes, quae hîc inſtitui posſint, ſed de quarum argumento nos certe nihil novi dicere posſimus. Christus autem ſolenniter urbem ingresſus est τῇ ἐπαύριον, docente Joanne XII: 12. i. e. *postero die*, qui dies primus erat post ſabbathum, ſive decimus menſis Niſan, noster, ut vulgo barbare dicimus, dies *Dominicus* ſive *Solis*. Non enim audiendi videntur, qui τῇ ἐπαύριον vertunt *die alio;* inter quos Tremellium, Ligtfootum et Lückium nominâsſe ſufficit. Schutte diem fuisſe putat post ſabbathum ſecundum, qui tamen ei etiam est decimus menſis Niſan vel trigeſimus nostri menſis Martii. Michaëlis, cui calculum adjecit rev. Broes, (1) undecimum diem fuisſe conjicit menſis Niſan, qui ipſi est dies noster Lunae. In hâc opinionum diverſitate, non ii ſumus, qui nostram ſententiam, tanquam unice veram, commendemus. Pro eâdem tamen merito praeſidium quaeri potest ex Amoſi I: 1, ubi apud LXX. legimus eodem modo: πρὸ δύο ἐτῶν τοῦ σεισμοῦ, item ex 2 Macc. XV: 37. Inſuper quaeri potest, ſi ſextus ante diem Veneris dies habendus ſit noster, qui dicitur, *Dominicus*, quisnam tum fuerit primus ante Paſcha-

(1) *Sermonum S.* T. I. *Serm.* IV.

Digitized by Google

ſchatis festum dies, qui, niſi nos omnia fallunt, prorſus pereat. Caeterum minus nobis probabile videtur, ſabbathi die Jeſum vel Bethaniam vel Hieroſolyma iter inſtituisſe. Nonne igitur hoc nostrae favet ſententiae, quod ex eâdem, illud festum quiete Bethaniae celebrâsſe cenſeatur Christus, nec prius Judaei Hieroſolymitani Bethaniam adiisſe existimentur, quam cum ſabbathum jam ad finem vergeret, ibique advenisſe, cum ex dierum diviſione apud Judaeos uſitatâ, ſequens dies initium jam cepisſet?

*Duo discipuli in vicum dimissi.*

Pervenerant jam Jeſus et discipuli in vallem quandam, ad radicem montis Oliveti, quae inter Bethaniam interjacebat et Bethphagen. Quod efficimus ex collatis Euangelistarum narrationibus, Matth. ſ. 1. Marc. ſ. 1. Luc. ſ. 29. Matthaeus quidem et Marcus; *Cum Hieroſolymae*, inquiunt, *appropinquaverant* vel *appropinquant*. Quae hîc apud utrumque Euangelistam est lectionis varietas, in vocibus ἤγγισαν et ἐγγίζουσιν, haec nos non moratur, unice repetenda nimirum ex librariorum nonnullorum conatu, hos vel ſibi invicem vel Lucae asſimilandi. Hic enim, ipſum Christum tantum reſpiciens, in ſing. num. habet ἤγγισεν. — Quousque in viâ, quae Hieroſolymam ducebat, jam pervenisſent, Matth. docet, cum dicit: καὶ ἦλθον εἰς Βηθφαγὴ: i. e. ſicuti mihi cum Fritzſchio (ad h. l.) videtur: *verſus Bethphagen*, in ejus viciniam; niſi forte praep. εἰς reddere malis *juxta*, *pro-*

Digitized by Google

*prope.* Marcus et Lucas, qui vocem ἦλθεν omittunt, addunt vero καὶ Βηθανίαν, cum Matthaeo non pugnant; nec magis hoc difficultatem parit, quod Lucas, aliter quam collegae, *Hierosolymae* hîc disertam mentionem non faciat. — Apud Marcum pro vulgatis εἰς Βηθφαγὴ καὶ Βηθανίαν, per voculae καὶ transpositionem, legitur, καὶ εἰς Βηθφαγὴ Βηθανίαν, in Cod. D., atque apud alios nonnullos testes. Quae lectio, cui aliquid tribuere videtur Griesbachius, sive explicandi consilio nata sit, seu per oculorum aberrationem, si quid video, neque talem habet internam bonitatem, nec eum testium numerum, quo incerta reddi censenda sit vulgata. — Docent itaque, sicut jam diximus, Euangelistae, sic nunc Hierosolymae appropinquâsse Jesum discipulosque, ut pervenissent Bethaniam inter et Bethphagen; eâ quippe euntes regiâ viâ, quae Hierichunte profectos per Bethphagen ad metropolin ducebat, relictâ a latere Bethaniâ.

De posteriore hoc vico, notissimo illo, quem antea jam verbulo attigimus, non est, quod hîc dicamus. Sed multo minus nota est Βηθφαγὴ; quam vocem multi apud Matth. et Marcum legunt Βηθσφαγὴν, quam lectionem apud Marc. in Biblia sua recepit Tremellius. Hieronymus (1) ad hoc nomen adscripsit: *Bethphagen: ad domum maxillarum, qui Sacerdotum viculus erat.* Origenes tradit, notante Michaële, eos, qui peregrinantibus suo tem-

(1) *Comm. in Matthaeum*, L. III.

tempore duces erant, eum vicum ponere solitos fuisse in montis Oliveti cacumine. (1) Cl. Tholuck (*Comm. in Joann.*) conjecit fuisse tractum domuum, ad utrumque viae latus sitarum. (2) Nomen habebat a ficubus, quas haec montis Oliveti regio magno numero producebat. Hoc vero certissime de loco illo, caeteroquin ignoto, constat, illum prope Hierosolymam fuisse; quare multi eum intra ipsos metropolis muros situm fuisse, temere affirmârunt. (3) Alii argumentum hinc petierunt, quo Matthaeo, Marco et Lucae hasce narrationes abjudicarent, easque posterioribus scriptoribus, qui per loci ignorantiam erraverint, tribuerent. Hanc vero opinionem locis quibusdam superstructam esse, male ex Rabbinorum scriptis desumptis, jam vidit Relandus, post eum L. de Dieu, et inprimis Hug, qui eo consilio de nostro pago agit, ut ex ratione, quâ de eo loquuntur Euangelistae, argumentum petat pro eorum fide historicâ minime negligendum. (4).

Ad

(1) In illius *Comm. in Matth.* T. XVI, ubi singularis exstat pericopa περὶ τοῦ ὄρους καὶ τοῦ πώλου, legitur Bethphagen ὄρος σιαγόνων interpretandam esse, illamque supra montem Olivarum fuisse sitam. Vid. T. III. p. 743. (ed. de la Rue). Locum, quem Mich. innuit, invenire mihi non contigit.

(2) Videtur ille hancce significationem tribuere τῇ ἀμφόδῳ Marc. XI: 4.

(3) Cf. Lightfoot, qui eam sententiam exposuit *in Chorographiae*, Matthaeo praemissae, Cap. XXXVII. Cf. etiam *Horae Hebr. et Talm.* p. 545.

(4) Vid. Hug, *Einl. in die Schriften d. N. T.* I. p. 18-20. coll. Paulo, *Phil. Krit. und Hist. Komm.* III. p. 106.

Digitized by Google

Ad montis Oliveti (cui utrumque adjecisse vicum diserto constat Euangelistarum testimonio) radicem appropinquaverat Jesus, cum duos discipulos dimitteret in vicum, qui peregrinantibus ex adverso erat. Vicus ille nobis nullus alius videtur, quam eadem illa *Bethphage*, quam ante se habuerit Jesus, nondum vero attigerit. Ea enim simplicissima ratio est explicandi hujus loci descriptionem, quae apud Matth. est: *τὴν κώμην τὴν ἀπέναντι ὑμῶν*; apud Marcum: *τὴν κώμην τὴν κατέναντι ὑμῶν*; apud Luc. simpliciter: *τὴν κατέναντι κώμην*. Etenim *ἀπέναντι* apud Matth. retinemus, quamquam Cdd. quidam illud in *κατέναντι* mutârunt, ut Marco plane similis redderetur Matth. Vox *ἀπέναντι* vel *κατέναντι* est Hebraeorum עַל־פָּנִים *e regione*, *ante faciem*, *coram*, *in conspectu*; quae notio cum situ Bethphages optime convenit. Jesum videre mihi videor *τὴν κώμην τὴν κατέναντι* digito discipulis suis monstrantem, dum ipse in illo loco erat, qui inter utrumque vicum interjacebat, ita ut Bethaniam post tergum, Bethphagen contra ante faciem haberet. Hanc sententiam amplexi sunt in vetere Ecclesiâ Justinus *Martyr* (1) et Hieronymus

(1) In *dialogo cum Tryphone Judaeo*, p. 211. (Edit. Sylburgii) ubi haec leguntur: Καὶ ὄνον δὲ τίνα, ἀληθῶς σὺν πῶλῳ αὐτῆς προσδεδεμένην ἐν τίνι εἰσόδῳ κώμης Βηθφαγῆς λεγομένης, ὅτε ἔμελλεν εἰσέρχεσθαι εἰς τὰ Ἱεροσόλυμα ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χρίστος, ἐκέλευσε τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ ἀγαγεῖν αὐτῷ.

mus (1), dissentiente tamen Origene, (2) inter recentiores Grotius, Kuinoel, J. M. H. Harras, (3) Broes, Fritzsche et nuper celeb. Clarisse. Illi qui J. C. dictum vertunt: *Ite in castellum, quod contra vos est*, metropolin intelligentes, (4) non attendunt, vocem κώμην tantum de oppido minori vel pago, nunquam de urbe Hierosolymorum usurpari: distinguitur enim inter κώμας et πόλεις 2 Paralipp. XIII: 19. Matth. IX: 35. X: 12; atque αἱ κώμαι dicuntur *urbium filiae*, Num. XXI: 2. et alibi. Ne dicam, propter interjacentem montem non potuisse tum metropolin conspicere Christum. Interpretes autem, qui de Bethaniâ cogitârunt, mihi id concedant velim, Jesum, si hunc vicum innuisset, accuratius certe locuturum fuisse, si dixisset, ὑποστρέφετε, et voci ἀπέναντι aliam etiam substituissset. Quod pari jure objicere licet cl. Pauli longius quaesitae conjecturae (Comm. T. III. ad Luc. XIX: 29.) quâ post v. ἤγγισε subaudit voces εἰς Ἱεροσολυμα, et mox sequentia εἰς Βηθφαγὴ καὶ Βη-θα-

(1) In Comm. in *Matth.* L. III.

(2) In Comm. in *Joannem* T. X. sect. 17 p. m. 186, 187, T. IV. Ὑπὸ δύο μαθητῶν ἀποσταλέντων ὑπ' αὐτοῦ ἀπὸ Βηθφαγῆς εἰς τὴν κατέναντι αὐτῆς κώμην εἰρήκασι. Et in eadem p. εἰς τὴν κατέναντι τῆς Βηθφαγῆς κώμην.

(3) In peculiari Diatribe: *Bemerkungen über den letzten Einzug Jesu in Jerusalem*, insertâ in *allgem. Biblioth. der Bibl. Litterat.* von J. G. Eichhorn, p. 189-242.

(4) Inter alios Lyranus, Hugo Cardinalis, Abulensis.

Digitized by Google

δεῦλαν cum verbo ἀπέστειλε conjungit, ut ita discipulis, si in priore vico asinum invenire non potuissent, uterque pagus deinceps adeundus fuerit.

Duo illi discipuli a Christo missi qui fuerint, non constat. *Petrum* et *Joannem* fuisse, multi inde effecerunt, quod utrique Jesus saepius mandata dederit, praesertim cum iidem etiam ad praeparandam coenam Paschalem a Domino missi sint. Hujus autem sententiae patrocinium, quod ad *Petrum* attinet, non male in eo quaesiverunt, quod Marcus, qui duce hoc Apostolo Euangelium conscripsisse non improbabiliter creditur, rem quandam narrat, quae testem prodit oculatum, cum discipulos invenisse dicat πῶλον δεδεμένον πρὸς τὴν θύραν ἔξω ἐπὶ τοῦ ἀμφόδου, quâ de re caeteri tacent. (1) Itaque a verisimilitudine non abhorret sententia, quae statuit, *Petrum* atque *Joannem* a Jesu Bethphagen fuisse ablegatos.

### *Jesu praedictio de asinâ cum pullo.*

Tota Euangelistarum, hanc Domini praedictionem referentium, ratio facit ut minime cum recentioribus nonnullis credamus, Jesum antea cum amico quodam, in illo vico habitante, pactum iniisse, ut hic eo die asinam cum pullo ipsi arcessenti paratam habiturus esset. Nobis potius persuasum est, Euangelistas, haec Christi verba scripto mandantes, id sibi voluisse, ut in iis illustre specimen animadverteremus divinae illius scien-

(1) Conf. rev. van Willis in *Spec. Herm. de iis, quae ab uno Marco sunt narrata* caet. p. 127.



Digitized by Google

ſcientiae, quâ Soſpitatorem nostrum nihil abditi lateret. Et vero ille Dei Filius, qui Nathanaëlem, ſub ficu degentem, conſpexerat, ubi a nemine ſe viſum eſſe hic ſibi perſuaſisſimum haberet; (Joann. I: 49-52) qui abſens τῷ βασιλίκῳ patefecerat, quid in ipſius domo hoc ipſo temporis puncto fieret; (ibid. IV: 50.) qui, testante Joanne, (ib. II: 25.) ſuâ ſponte, quodcunque in hominum cordibus delitesceret, noverat; ille, inquam, potuit etiam ſine dubio discipulis ſuis ea praeſignificare, quae in vico inventuri eſſent. Divinae hujus cognitionis ideo inprimis hoc documentum dedit Dominus, ut amicorum animos corroboraret contra imminentia mala, item ab ipſo annuntiata, nec minus certo eventura, quam ea quae mox, vicum ingreſſi, oculis ſuis adſpecturi erant. Ejusdem ſcientiae, res minimas etiam futuras complectentis, aliud denuo documentum dedit Dominus, cum paucis diebus post discipulos ad praeparandam coenam Paſchalem mitteret. Nam hâc etiam in re, quamvis plurimis refragantibus, idem Jeſu conſilium agnoscimus, ut discipulis ſuis ſe omnia praeſcire perſuaderet. Quod non ita dicimus, quaſi alterum quoddam conſilium, primum a Theophylacto propoſitum, rejiciamus, quo Jeſus ſtatuitur ideo domum hospitis illius non distinctius deſcripſisſe, ne illam Judae Cariothenſi indicaret; ſed id tantum negamus Jeſum inter et hospitem antea convenisſe, ut hujus ſervus discipulos illius ad portam exſpectaret eosque ad herum duceret (1).

His

(1) Vid. Kuinoel, in Comm. ad Matth. XXVI: 18. et auc-

His praemissis, audiamus ipsam Christi praedictionem quam sic retulerunt Euangelistae: Matth. καὶ εὐθέως εὑρήσετε ὄνον δεδεμένην καὶ πῶλον μετ' αὐτῆς. Marc. καὶ εὐθέως εἰσπορευόμενοι εἰς αὐτὴν, εὑρήσετε πῶλον δεδεμένον, ἐφ' ὃν οὐδεὶς ἀνθρώπων κεκάθικε. Luc. vero: ἐν ᾗ εἰσπορευόμενοι εὑρήσετε πῶλον δεδεμένον, ἐφ' ὃν οὐδεὶς πώποτε ἀνθρώπων ἐκάθισε. In his

auctores ab illo ll. Lilienthalii *Gute Sache der Göttl. Offenb.* T. XVI. p. 1218. Moschii *Erklär. der Leidensg.* T. I. p. 53. Gableri *Neuestes Theol. Journ.* B. II. p. 455. sqq. Quibus addatur Paulus, in Comm. ad h. l. et in opere: *das Leben Jesu*, II. p. 150. Caeterum Euangelistarum simplicitas, quâ Jesu scientiae mirificae admiratione pleni, hujus mandati πιστότης fuse exponunt, ipsam rem subsecutam brevissime memorant, displicuit vehementer Schleiermachero, in libro: *Ueber die Schriften des Lukas*, p. 280. ubi haec dicit: „ *Die unverhältnissmässige Ausführlichkeit am Anfang ist wohl zweifach zu erklären. Einmal begegnet es jedem ungeübten Schreiber und Erzähler leicht am Anfang ausführlicher zu reden, als er hernach durchführen will, oder kann. Dann scheint unser Concipient, der mittelbar, oder im günstigsten Fall unmittelbar, die Sache von einem Apostel hatte, in der Art wie Jesus den Auftrag gegeben hat, etwas wunderbares oder wenigstens sehr auffallendes und merkwürdiges gefunden zu haben, was wohl eigentlich nicht darin liegt, und dadurch werd er veranlasst dieses ausführlicher wieder zugeben, als das übrige.*" — Verum non opus est, ut haec refutemus, post ea quae supra jam diximus, de ἀξιοπιστίας argumento luculentissimo, quod ex hoc veluti *proportionis defectu* duci potest.

Digitized by Google

his vulgatam lectionem retinendam esse duximus; quamquam Fritzschius, non magnâ suffragante Cdd. auctoritate, exstinxit apud Matth. vocem εὐθέως, tanquam hujus loci indoli refragantem et traductam ex Matth. sect. 3, ubi pro εὐθέως δὲ etiam καὶ εὐθέως legatur. Enimvero haec vox εὐθέως, Matth. sect. 2, quam optimi quique varii generis testes tuentur, nobis minime supervacanea videtur. Collato Marco, eam ita interpretamur: *statim, cum ingressi eritis vicum, invenietis asinam;* non diu vobis quaerendum erit. Vocem illam in εὐθὺς temere mutârunt apud Matth. et Marc. Cdd. nonnulli. Caeterum apud Marc. ante οὐδεὶς vel post ἀνθρώπων adjecerunt nonnulli Cdd. οὔπω vel οὐδέπω vel πώποτε; apud Lucam vero eandem plures omiserunt, alii in πότε mutârunt. Unus tandem Cod. D. apud Lucam omisit vocem δεδεμένον.

Gravior dicenda est ea narrationum diversitas, quâ Matth. *asinae atque pulli cum ipsâ*, caeteri *pulli* tantum mentionem faciunt. Quae res Schleiermachero ansam dedit acriter in Matthaeum invehendi, qui nimirum, ut majorem dictis conciliaret cum Zachariae vaticinio convenientiam, rem finxerit prorsus improbabilem, atque ideo incredibilem, quod cum asinorum pulli ad eam pervenissent maturitatem, quâ equiti apti forent, tum diu jam a matre essent separati. Quâ narrationis absurditate probari putat, Matthaei relationem, tanquam viri, qui rebus ipsis non interfuerit, minore fide esse dignam, quam Lucae, quae ex ore testis oculati fluxisse merito statuatur.

At-

Digitized by Google

Atqui Schleiermacherum refellimus Pauli animadversione, (1) necesse esse ut pulli asinini diu apud matrem maneant, ut incrementa capiant vires eorum, magnitudo atque pulchritudo. Nec absurdum sane, Jesum utrumque animal ad se adduci jussisse, quo facilius pullus discipulos sequeretur. Caeteri de asinâ silentes, minime tamen cum Matthaeo pugnant, quippe unice pullum memorantes Jesu usui destinatum, matrem vero praetermittentes, cujus mentio minus cum solenni Introitu conjuncta esset. Nobis igitur persuasum est, haec a Domino ita fuisse dicta, prouti apud Matthaeum leguntur, neque igitur, majoris similitudinis captandae causâ cum Zachariae vaticinio, quidquam ab eo fuisse adjectum. (2) Apud Matth. non diferte de pullo, verum de asinâ tantum traditur, eam fuisse *alligatam*. Si mater adesset, pullo certe vinculis minus opus erat. Verum ex caeteris pullum quoque alligatum fuisse, comperimus. Vox πῶλος speciatim de *pullo asinino* et *equino* adhibetur. De asellis junioribus eâdem voce usi sunt οἱ Ὀ: Judd. X: 4. XII: 14. Ideo opinârunt non-

(1) Vid. *Comm.* T. III. p. 107 et auctores ab illo citati.

(2) Boltenius conjecit, Jesum, vernaculo sermone locutum, usurpâsse ipsa Zachariae verba: חֲמוֹרָא וְעַיְלָא בַּר אַתְנָא, eaque fuisse etiam in priore Euangelio Matthaei, sermone Aramaico conscripto, verum qui dein haec in Graecum sermonem verteret, loco עַיְלָא de עֲיָלָה cogitâsse et inde vocabulorum μετ' αὐτῆς originem unice esse repetendam. De hâc vero conjecturâ alii judicent.

Digitized by Google

nonnulli, ingeniose magis, ut videtur, quam vere, Marcum consulto eam vocem usurpâsse, (1) ne lectorum Occidentalium risum moveret, aperte asino nominato. Sunt qui putent, Bethphagen locum fuisse, ubi asini, per locatores peregrinantibus pretio oblati, starent parati, quorum unum Jesus arcessiverit. Quâ in caussâ ad testimonia provocant quorumdam scriptorum, qui morem illum apud alias viguisse gentes testantur. (2) Haec vero conjectura minus probanda videtur, cum propter jam antea monita, tum propter illam definitionem, pulli ἐφ' ὃν οὐδεὶς ἀνθρώπων κεκάθικε vel ἐκάθισε πώποτε, (3) quae omnium minime de

(1) Quae est Wetstenii conjectura ad h. l. (Paulus III. p. 147.)

(2) Vid. Cramer von Baumgarten, *Bijdragen tot verklaring van het N. T.* T. I. p. 261. Ea vero sententia etiam occurrit in *Harmoniis Euangelistarum Chemnitsio-Lysetianis*, continuatis a Joh. Gerhardo, C. CXLIV. p. 41. „ *Bethphage fuit procul dubio villula vel praedium vel di-* „ *versorium aliquod, ubi habitavit quispiam asinas mercato-* „ *rias alens, quas commodato dedit illis, qui in itinere las-* „ *si, montem Oliveti adscendere cuperent, quibus onera in ci-* „ *vitatem portanda imponebant.*" — Et in libro Hieron. Xaverii, *Historia Christi, Perfice descripta*, edito a Lud. de Dieu. „ *Hos ambos asinos Domino ipsorum restituit,* „ *quia inpotentes et pauperes iis vecti Hierosolymam adscen-* „ *debant et reducebantur.*" Eam vero narrationem Lud. de Dieu ut fabulam rejecit.

(3) Paulus, in libro *de Vitâ Jesu*, eâ parte, cui titulus: *Euang. Geschichts-Erzählung*, p. 84. hoc dictum ita enun-

Digitized by Google

de iis asinis valeret, qui per locatores ad communem peregrinantium usum, festis inprimis temporibus, destinati dicuntur. Ad sacros usus adhiberi solebant jumenta, nondum humanis usibus mancipata, quae a Latinis *injugia* vocabantur. (1) Ita olim arca in terram Israëliticam reducebatur curru, duobus juvencis injugibus vecto. Patet quoque ex plurimis veterum Poëtarum locis, a gentibus etiam exteris ejusmodi jumentis quandam tributam esse sanctitatem. Item hîc notandus alius quidam mos Israëlitarum et universe Orientalium, quo Reges nunquam aut equo aut asino veherentur, cui alter jam quispiam insedisset, nec cuiquam equum conscendere liceret ipsius Regis in-

enuntiavit: „ *Er schicke in das Dorf, wo man leicht einem* „ *Esel*, den noch niemand brauchte, *auffinden konnte.*"

(1) Hîc quaedam exempla ex veteribus Poetis afferre juvat. Homerus habet Iliad. Z. v. 93 et 94.

Καὶ οἱ ὑποσχέσθαι δυοκαίδεκα βοῦς ἐνὶ νηῷ,
Ἥνις, ἠκέστας ἱερευσέμεν.

Virgilius, *Georg.* IV. 540.

*Intactâ totidem cervice juvencâ.*

et in *Aeneid.* L. VI. 38.

*Nunc grege de intacto septem mactare juvencos*
*Praestiterit.*

Ovidius *Metam.* III. 10. sq.

*Bos tibi*, Phoebus ait, *solis occurret in arvis*
*Nullum passa jugum curvique immunis aratri.*

Item alio loco:

——————————— *juvencam*
*Nullum servitii signum cervice gerentem.*

Digitized by Google

inſervientem uſui. Inde ſingularis favoris manifestatio in eo cernebatur, quod *Ahaſuerus Mordechäum* juberet ſuo ipſius equo regio per totam urbem vehi. (Esth. VI: 7, 9) Item Davides Salomonem conſcendere mulum, Regis uſui alias reſervatum, eoque vehi jusſit; quo populo ſignificaret hunc ipſius futurum esſe Regem, a ſeſe regni ſucceſsorem conſtitutum. (1 Reg. I: 33, 38, 44.) (1).

*De iis, quae legatis ſuis J. C. mandavit.*

Jeſu jusſum, proprie dictum, paucis continetur verbis. Dicit enim πορεύθητε vel ὑπάγετε *ad vicum illum, qui est contra vos.* Et mox, ubi aſinam cum pullo a discipulis inventum iri praeſignificaverat, mandatum addit: λύσαντες ἀγάγετέ μοι vel αὐτὸν ἀγάγετε. De intermediis antea vidimus: de primis et ultimis nunc agendum. Pro vocabulo apud Matth. πορεύθητε Cdd. B. D. aliique nonnulli varii generis testes, habent πορεύεσθε; quae lectio, quamvis non ſpernenda, vulgatae tamen non praeferenda videtur, et fortasſe, ut paullo notior, alteri a librariis male ſubſtituta est. Nec apud Matth. ἀγάγετε in ἄγετε mutandum videtur, quod fecerunt cum paucis aliis Codd. C. et D. — Lectionem magis probabilem apud Marc. exhibent Codd. B. C. et L., verſiones quaedam atque Origenes, pro dicto λύσαντες αὐτὸν ἀγά-

(1) Vid. inprimis van Herwerden, *Verkl. van Joannes*, IV. p. 377.

Digitized by Google

ἀγάγετε habentes λύσατε αὐτὸν καὶ φέρετε. Hanc tamen lectionem propter minorem testium numerum qui ei favent, vulgatae substituere non audemus. Quamquam haud contemnenda sunt argumenta, quibus ejus caussam agit Griesbachius, in *Comm. Crit.* II. 154. Caeterum Matthaeus bene suppletur ex caeteris, post ἀγάγετε addendo αὐτόν.

Sed quidni Christus, si asino vectus urbem introire vellet, a Bethaniâ eam secum adduxit; aut quidni certe in antecessum herum rogandum curavit, ut jumenti sibi usum concederet? Hae quaestiones iis tantum molestiam creare possunt, qui in illâ, quam exponimus, re nihil extraordinarii fuisse aut miri contendunt. Enimvero illud Christi, quod antea significavimus, consilium divinae suae scientiae discipulis manifestandae, satis grave erat, ut propter id ipsum singulari hâc ratione ageret. Praeterea sine dubio noverat ipse, horum animalium dominum eâ se reverentiâ complecti, quâ fieret ut non tantum sine ullâ morâ concessurus esset, ut ipsa abducerent discipuli, verum ut magno adeo sibi honori Christi his utendi consilium ducturus esset. Haec una, si quid video, animadversio de asinorum possessore, qui Christo tam amicus fuerit, ut hic de illius propensâ in se voluntate non ambigere posset, omnem tollit difficultatem, quae caeteroquin de Christi jure ita agendi exsistere posset. Nec profecto hoc absurdum est, ut statuamus Sospitatorem, qui mox ut Messias metropolin ingressurus esset, nunc jam, ut ἐξουσίαν ἔχοντα regiam, agere voluisse. Quamquam postea etiam, in Paschalis

Digitized by Google

lis coenae praeparatione, ſimili ratione mandata ſua dedit. Nam tunc etiam τῷ οἰκοδεσπότῃ ſimpliciter dicere legati debuerunt: Ὅτι ὁ διδάσκαλος λέγει κ. τ. λ. (Marc. XIV: 14.). Certe quanta esſet Christi modestia, quâ nihil honoris aut juris temere ſibi ſumeret, tota docet historia. Quid quod ne amicisſimi quidem ſibi Petri navigium ad ſua adhibere conſilia voluerit, niſi postquam hunc, ut ejus uſum ſibi concederet, humaniter rogâsſet! (Luc. V: 3.) Quo certius conſtat, Servatorem, cum, auctoritatem ſuam interponens, jumenta arcesſenda et Paſcha praeparandum curaret, gravisſimis ductum esſe conſiliis. Verum ad nostram revertamur historiam.

Fieri poterat, ut jumentorum dominus, cum ea disſolventes conſpiceret discipulos, facti ex iis rationem cum admiratione quaereret. Etiamſi enim vel maxime Christo amicus esſet, eumque plurimi faceret, fortasſe tamen non cognitos habebat eos, quos hic misſurus erat, legatos; atque ita exſpectandum erat, ut a mandato exſequendo hi deterrerentur. Quam rem niſi certam, at haud improbabilem ſaltem, cavere volebat provida Servatoris cura, per ea monita, quae legimus Matthaei itemque Marci ſect. 3. et Lucae ſect. 31. Apud Matthaeum quidem ita incipiunt Jeſu verba: καὶ ἐάν τις ὑμῖν εἴπῃ τι: ubi addit Cod. D. ποιεῖτε, quod ſine dubio glosſema est, ex Marco ductum; ſed ejusmodi glosſema, quod etiamſi *criticam* auctoritatem non habeat, uſum tamen *hermeneuticum* praeſtat. Hoc enim ipſum verbum legitur apud Marcum, qui plenius hîc habet: καὶ ἐάν τις ὑμῖν εἴ-

εἴπῃ· τί ποιεῖτε τοῦτο; Conferatur Lucas, qui habet: καὶ ἐάν τις ὑμᾶς ἐρωτᾷ· διατί λύετε; nempe τὸν πῶλον. Varia exſtat apud Marcum diſtinctio: nam τοῦτο vel refertur ad praecedentia τί ποιεῖτε; vel additur ſequenti vocabulo εἴπατε; ubi, ut mihi quidem videtur, non facile dixeris, utra ſit ratio praeferenda. Exſtat etiam apud eundem, ne de aliis dicam Cdd. erroribus, nonnullorum lectio: τί λύετε τὸν πῶλον; quod tamen ſine dubio librariorum est interpretamentum. Haec itaque ſi forte rogarentur ab hero vel ejus ſervis; quid discipulis faciendum erat? Hoc accurate iis praecipit Magister, cum mox dicat: ἐρεῖτε vel εἴπατε vel οὕτως ἐρεῖτε αὐτῷ· ὅτι ὁ Κύριος αὐτῶν vel αὐτοῦ χρείαν ἔχει. Ὅτι hic, prouti ſaepe post verba dicendi loquendique, abundare (quare ex Marco ejicitur a Cod. B.) vix est, quod moneamus. Orationem ſimpliciter indicat directam. Αὐτῷ, apud Lucam occurrens, ab optimis nonnullis testibus omittitur, estque igitur paullo incertioris originis. Fortasſe male ejecerunt, quoniam apud duos priores Euangelistas non inveniebatur. Ὁ κύριος vel ὁ διδάσκαλος, quo etiam nomine ſe vocat J. C. in mandato de praeparando Paſchate, titulus erat, quo univerſe ipſe erat cognitus, quippe ὁ Κύριος vel ὁ Διδάσκαλος dicendus κατ' ἐξοχήν. Sic eum ſaepisſime alloquebantur discipuli, approbante ipſo, (Joan. XIII: 12.) item amici atque turba. Minime habemus in hoc dicto ſignum quoddam, de quo virum inter illum, vicum inhabitantem, atque Jeſum antea convenerit. Caeterum quid mirum, magni hujus Domini nomen vix-

Digitized by Google

vix auditum suffecisse ad persuadendum huic ejus amico! Nam plurimi erant in totâ illâ regione, qui postquam Jesus Lazaro vitam restituerat, omniumque ita sibi conciliaverat admirationem, summâ ipsum existimatione prosequerentur. Et vero probabiliter noverat Christus, in illius viri animo tam venerabundam esse, quâ se complecteretur, amicitiam, quâ maxime in votis haberet, ut amoris sui specimen edendi atque documentum sibi offerretur occasio. Dominum enim, qui ab initio eos cognovit, qui fidem ipsi negabant, fidentes etiam amici minime latere poterant.

Sequuntur nunc apud Matth. in textu vulgato verba: εὐθέως δὲ ἀποστελεῖ αὐτούς; apud Marcum, in eodem textu: καὶ εὐθέως αὐτὸν ἀποστελεῖ ὧδε. Haec, quibus apud Lucam nihil respondet, multum negotii facessiverunt Criticis atque interpretibus. Primum quidem, per testium plurimorum optimorumque consensum, dubitare non possumus, quin, apud Marcum quidem, pro vulgato futuro ἀποστελεῖ legendum sit in praesenti tempore ἀποστέλλει. Nimirum, ut sexcenties alibi, faciliorem lectionem futuri temporis male substituerunt. Verum magis ardua quaestio est, de ejusdem vocabuli apud Matthaeum lectione. Nam hic quoque ἀποστέλλει habent Cdd. plurimi, non Constantinopolitani tantum, sed etiam Alexandrini, dissentiente tamen a libris caeteroquin sibi cognatis Origene. Contra vero Occidentales, nec hi unanimes tamen, receptum ἀποστελεῖ exhibent. Ita fere testium sententias recenset Griesbachius (*Comm. Crit.* II. p. 1.) Atque hic quidem vir summus, apud Matth. quoque

que ἀποστέλλει praeferendum ducit. Nec tamen ego adhucdum a me impetrare posſum, ut hîc vadimonium deſeram vulgatae ἀποστελεῖ, quam Paulus, Heſſius, Palmius, quamquam dubitanter, Fritzſchius aliique etiam retinuerunt. Nimirum magnum praeſidium haec habet in auctoritate praeſtantisſimorum testium, quales ſunt Cdd. B. D., Verſſ. Itala et Vulgata et in Patribus Origenes. Sed et haec addatur animadverſio, ex internâ petita lectionis ratione. Si antiquisſimo jam tempore legebatur apud Marc. in praeſ. ἀποστέλλει, de quo dubitandum non videtur, facile fieri potuit, ut ei Matthaeum quoque male conformare vellent, apud hunc etiam praeſenti tempore exprimendo. Quae cum ita ſint, legamus, niſi quis me meliora doceat, apud Matthaeum quidem, quod vulgatum est ἀποστελεῖ, apud Marcum vero ἀποστέλλει. Quod ipſe tamen praeſens, *futuri* ſignificationem hîc, ut ſaepe, habere videtur; quod vidit jam Erasmus, qui hoc tempus nostro loco uſurpatum esſe putat ad celeritatem ſignificandam.

Nimirum haec Christum dixisſe existimo, ut difficultatem tolleret, quae ab inſolito mandato exſequendo discipulos retinere potuerat. Habemus ergo hîc promisſum Jeſu, legatis ſuis, ipſorum conamina non irrita esſe futura affirmantis. Dictorum enim ſenſus est: „ Continuo dimittet dominus aſinam et pullum, quando audiverit τὸν Κύριον, ſuos in uſus, eos petere, nec jumenta a vobis abduci aegre feret." Simplicisſimam hanc interpretationem alteri praeferimus, quae apud Heſſium (*Lebensg. Jeſu*. L. IX: C. I.

T.

T. III. p. 17.) aliosque invenimus, ex quâ discipulos jusserit Christus, quo facilius asinorum dominum ad eos dimittendos commoverent, huic, suo nomine, affirmare, Magistrum eos statim remissurum esse, urbem ingressum. Huic sententiae magnum patrocinium, observante Paulo (*Comm.* III. 113.) peti posset, si textui apud Marcum, ante vel post ἀποστέλλει, adjici debeat vox πάλιν, quae in multis Cdd. invenitur. Verum etsi monet Schulzius, Griesbachii editor, cavendum esse, ne illud vocabulum cum ipso celerius ejiciamus, vel sic tamen summus hic Criticus (*in Comm. Crit.* II. 155.) tam accurate docuit, non admittendum esse adverbium πάλιν, ut mihi ulterioris hâc de re disputationis suscipiendae otium fecerit. Memoratae autem explicationi repugnat, si quid video, vocabulum ὧδε, a Marco additum, quod optime ad illum locum refertur, ubi Jesus eo temporis puncto degebat, cum discipulos suos legaret, et ubi eos cum asinis redeuntes exspectabat, quia iis uti volebat antequam Bethphagen intraret. Et constat hoc adverbium, pro quo vulgo δεῦρο usurpatur, saepissime eodem sensu in N. F. occurrere. Cf. Matth. VIII: 29, XIV: 18 etc. Non ignoro, in iis viris doctis, qui apud Matthaeum in praesenti legunt ἀποστέλλει, esse qui ejus verba εὐθέως δὲ ἀπαστέλλει αὐτοὺς, ipsi Historico, non Christo tribuant, ut sensus sit: „ Continuo tum legatos dimisit Jesus." Verum cadit haec interpretatio, cadente illâ, cui superstruitur, lectione, quam non admittendam videri supra dixi. Quin, si vel apud hunc Euang. legendum

Digitized by Google

dum existimemus ἀποςέλλει, quod secus se habet, vel sic tamen hanc improbaremus interpretationem, quae, cum ad Marcum minime applicari possit, per hujus collationem refutatur. Ne de tautologiâ dicam, quae, si haec valeat explicatio, exsistat Matthaei sect. 1 et 3. Quae omnia cum ita sint, haec, apud utrumque Euangelistam, verba et Christo tribuenda et ita, ut supra monui, interpretanda duco.

*De legatis, Christi mandatum exsequentibus.*

Domini spem non fefellit exitus, de quo nunc, antequam Zachariae vaticinium attingamus, a duobus Euangg. citatum, paucis videbimus. Discipuli potuerant facile tergiversari vel morari, cum mandatum ipsorum praejudicatis de Messia opinionibus non optime conveniret. Christus enim asino volebat vehi, cum ipsi longe majorem exspectarent majestatem ac pompam. Nihilominus tamen πορευθέντες οἱ μαθηταὶ, καὶ ποιήσαντες, καθὼς προσέταξεν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, ἤγαγον τὴν ὄνον καὶ τὸν πῶλον. Ita sese habet Matthaei narratio, sect. 6 et 7 ineunte, quae simplicissima est et nihil copiosius exponit earum rerum, quae in ipso pago acciderint, ac ne verbo quidem significat, quomodo animati fuerint discipuli, cum omnia, quae ipsis praedixerat Dominus, eventu comprobata adspicerent. Lectores non admonent aut Matthaeus aut ejus collegae de rei gestae magnitudine; id quod, in Paschatis etiam praeparatione, animadvertere licet, cujus apud Euangelistas historia, hâc

in re, nostrae plane est similis. Obsequium igitur nunc Magistro praestabant legati, cum statim, reverentiâ pleni suamque sapientiam Domini sapientiae posthabentes, ad pagum procederent. Quo cum venissent, ibi omnia εὗρον καθὼς εἶπεν αὐτοῖς (addunt nonnulli Cdd. et vers. ἑστῶτα τὸν πῶλον vel simpliciter ἑστῶτα). Ita sect. 32 Lucas; qui eodem modo in aliâ re narrandâ versatur (Cap. XXIV: 24.) εὗρον οὕτω καθὼς καὶ αἱ γυναῖκες εἶπον. Quid vero invenerint nunc Christi legati, omnium accuratissime Marcus narrat sect. 4 et 5. Primum dicit καὶ εὗρον πῶλον (ita enim propter multorum Cdd. legimus consensum) talem nimirum, quod ex praecedentibus intelligitur, ἐφ' ὃν οὐδεὶς ἀνθρώπων κεκάθικε. Eum offenderunt δεδεμένον πρὸς τὴν θύραν ἔξω ἐπὶ τοῦ ἀμφόδου. Haec narratio ex talis profecta videtur testis oculati fide, (quidni *Petrum* fuisse statuamus?) qui ipse adfuerit et pullum viderit, alligatum januae extra domum, quam illorum animalium habitabat dominus; qui non eo consilio illa alligaverat, ut Jesus iis veheretur; verum forsan ipse mox iis uti volebat, et hâc de caussâ nondum ea ad stabulum deduxerat. Sita erat domus illa ἐπὶ τοῦ ἀμφόδου, *in bivio*, quae litteralis nobis retinenda videtur interpretatio. Hesychius et Suidas per ὁδὸν vel ῥύμην explicant, ut hîc universe sit intelligenda *platea*, Wolff, in *Hor. Hebr. et Talm.* per *angiportum* interpretatur. (1) Ni-

(1) *Syrus* בְּשׁוּקָא *in plateâ*. Paulus, III. p. 147. interpretatur de tractu domuum viae adjacentium, vel etiam de ipsâ viâ.

Digitized by Google

Nihil vero impedit, quominus hic locum intelligamus, ubi duae concurrerent viae in vici initio. Hisce ita inventis, pergebant in faciendis iis, quae jusserat Jesus. Καὶ ποιήσαντες καθὼς προσέταξεν vel συνέταξεν (sicuti alii Cdd. habent) αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, quod Matthaeus dicit, λύουσιν αὐτὸν, quod Marcus refert. Lucas haec sequentibus, per genitivum qui dicitur, absolutum, jungit: λυόντων δὲ αὐτῶν τὸν πῶλον, εἶπον οἱ κύριοι αὐτοῦ πρὸς αὐτούς· τί λύετε τὸν πῶλον; Pro his Marcus habet: καὶ τίνες τῶν ἐκεῖ ἑστηκότων (pauci Cdd. ἑστῶτων) ἔλεγον αὐτοῖς· τί ποιεῖτε λύοντες τὸν πῶλον; Nec mirandum profecto eos, qui ignotos sibi viros asinum dissolventes videbant, hujus facti rationem exquisivisse. Quinam vero fuerint illi, minus clare patet. Marcus incolas vici innuere videri possit; quod placuit certe Aethiopicae versioni, quae habet: *quidam qui hoc in loco ambulabant.* Verum indefinitum hujus Euang. dictum ex accuratiore Lucae relatione est interpretandum; nam τίνες illi ab hoc dicuntur οἱ κύριοι αὐτοῦ: eodem modo, quo de Pythonissâ scribit (Act. XVI: 19.) οἱ κύριοι αὐτῆς. Nec tamen h. l. de pluribus dominis, cum Pricaeo, interpretamur, sed de uno alterove ex familia eâ, cujus essent asini; (Paulus *Comm.* III. p. 142) quomodo et nos familiari sermone filium *dominum* dicimus equi vel alicujus rei, quae patris est. Quod ad ipsam quaestionem, discipulis objectam attinet, animadvertere sufficit, eam apud Marcum et Lucam plane idem notare, quod rogatum iri Jesus discipulis suis praesignificaverat. Forma vero



Digitized by Google

quaestionis apud Marcum paullo difficilior est. Eadem occurrit Act. XXI: 13, ubi Paullus, post vaticinium ab Agabo Caesareae editum, suos amicos ita alloquitur: τί ποιεῖτε, κλαίοντες καὶ συνθρύπτοντές μου τὴν καρδίαν! Utroque loco verbum ποιεῖτε quodammodo abundat. Noster autem locus optime vertitur: *quid est, quod pullum solvatis?* Respondent discipuli, quae ipsos jusserat Jesus. Marcus enim habet οἱ δὲ εἶπον αὐτοῖς καθὼς ἐνετείλατο (vel, prout alia habet lectio ejusdem fere auctoritatis, εἶπεν) ὁ Ἰησοῦς. Lucas vero, ipsa eorum verba reddens, habet οἱ δὲ εἶπον· ὁ κύριος αὐτοῦ χρείαν ἔχει: quod Vulg., quae dicitur, versio eodem modo reddidit, ac sect. 31: *quia dominus eum necessarium habet.* Id effecit hoc responsum, ut qui Jesu legatos impedire voluerant, quominus secum animalia ducerent, nunc statim ea dimitterent; quod unus Marcus narrat: καὶ ἀφῆκαν αὐτοῦς, scilicet discipulos, ab iis desistebant, asinosque iis abducendos tradebant. Nec dubium quin hi, magnopere gavisi, e vico redierint. Ita enim Matthaeus: ἤγαγον τὴν ὄνον καὶ τὸν πῶλον. Nec multo aliter Marcus: καὶ ἤγαγον (pro quo nonnulli testes minus probabiliter habent φέρουσι) τὸν πῶλον πρὸς τὸν Ἰησοῦν. Lucas eodem modo: καὶ ἤγαγον αὐτὸν πρὸς τὸν Ἰησοῦν. Jam vero Dominum inveniunt (ita enim subsecutarum rerum scenam nobis informare licet) eodem ipsos loco exspectantem, a quo eos dimiserat; certatim caeteris discipulis et amicis narrant, ita plane se omnia invenisse, uti indicaverat Magister, et rem sibi, interpositâ τοῦ Κυρίου auc-

to-

Digitized by Google

toritate, bene cessisse. Hoc rei exitu in admirationem rapiebantur discipulorum animi, atque hoc facto efficiebatur ut dispergeretur fama: „ Ecce appropinquat Jesus Nazarethanus, qui Lazaro vitam restituit, misitque nunc suos legatos ut jumentum sibi, urbem introituro, peterent!" Plurimi ei obviam procedunt, vel eum sequuntur, cum pagum transgrederetur. Nec improbabile est, iis interfuisse ipsum asinorum dominum, qui, si forte, unâ cum laetante turbâ, Hierosolyma ingressus est, ipse animalia, postquam iis usus fuerat Christus, potuit Bethphagen reducere.

## § III.

*Vaticinium Zachariae exponitur.* (*Matth.* f. 4 et 5. *Joan.* f. 15 et 16. coll. *Zach.* IX: 9.)

Historiam, quam tractamus, referentes Matthaeus et Joannes locum quemdam e V. F. adducunt et ad illum provocant, quem prior quidem his verbis exhibet: Εἴπατε τῇ θυγατρὶ Σιών· ἰδοῦ ὁ βασιλεύς σου ἔρχεταί σοι πραΰς καὶ ἐπιβεβηκὼς ἐπὶ ὄνον καὶ πῶλον υἱὸν ὑποζυγίου. Posterior vero paulo aliter et brevius: Μὴ φοβοῦ θύγατερ Σιών· ἰδοὺ ὁ βασιλεύς σου ἔρχεται, καθήμενος ἐπὶ πῶλον ὄνου. Neuter vero indicat, unde desumptum sit oraculum. Hic enim universe scribit: καθώς ἐστι γεγραμμένον; ille paulo magis definite memorat τὸ ῥηθὲν διὰ τοῦ προφήτου. Nec dubium tamen est, quin Zachariae vaticinium innuerint, cum utriusque citatione unice con-

Digitized by Google

conveniens, quod apud hunc propheram invenitur Cap. IX. sect. 9. atque ita se habet: גִּילִי מְאֹד בַּת־צִיּוֹן הָרִיעִי בַּת־יְרוּשָׁלִַם הִנֵּה מַלְכֵּךְ יָבוֹא לָךְ צַדִּיק וְנוֹשַׁע הוּא עָנִי וְרֹכֵב עַל־חֲמוֹר וְעַל־עַיִר בֶּן־אֲתֹנוֹת: *Exsulta valde filia Sionis, jubila filia Hierosolymae! Ecce Rex tuus ad te venit justus et Servator, modestus et vectus super asino, pullo* nempe *filio asinarum!*

Primum hoc Zachariae oraculum grammatice nobis interpretandum est. Facit enim diversa N. T. scriptorum, citandi vel et accommodandi V. T. loca, ratio, et diversa ipsius vocis πληροῦσθαι significatio, ut prudenter et accurate inquirendum sit, utrum illi alicubi, proprie dictos locorum, quae laudant, *interpretes* agere, an vero, hoc non curantes, eadem tantum suos in usus convertere voluerint. Itaque cum nobis persuasum sit, saepius in N. F. posteriore ratione V. T. dicta citari, age! per sanas interpretandi regulas inquiramus, num noster hic locus eo sensu possit exponi, quo fecerunt Euangelistae. (1)

Capite IX. Zachariae, quo altera hujus libri pars incipit et insequentibus deinceps Capp. tanta invenitur, cum argumenti tum styli, a priore ejusdem parte diversitas, ut plurimi illam hujus auctori abjudicârint. Atque hîc in gravissimam incidimus litem, haud novam quidem, (2) hodie vero inprimis agitatam, postquam

(1) De hoc argumento ante omnes conf. cl. Pareau, *in Inst. Interpr. V. T.* P. II. S. II. § 2. Obs. 3. et inprimis P. III. S. III. § 3.

(2) Josephus Medus, S. XVII. hoc jam contendit de

quam auctor quidam anonymus (1) apud Germanos et celeberrimus William Newcome (2) apud Anglos, memoratam professi sunt opinionem, quorum ille Döderleinium (3) aliquatenus in suas traxit partes, effecitque ut Eichhornius etiam suam de nostro libro mutaret sententiam. (4) Medus et New-

co-

de Cap. IX-XI, in libro: *Diss. Eccl. triga, de sanctitate relativâ, veneratione sacrâ, sortitione et aleâ, quibus accedunt fragmenta sacra*, Lond. 1653. p. 90. Idem fecit William Whiston, in *tentamine instaurandi textum Hebr. V. T. prop.* III. p. 39.

(1) *Die Weissagungen, welche den Schriften des Propheten Zacharias beigebogen sind.* Hamburg 1784. Putatur hic Anonymus fuisse B. G. Flügge. Vid. Augusti, *Grundriss einer historisch-kritischer Einleitung in's A. T.* Ed. II. p. 343. Cff. Winer, *Handbuch der Theol. Literat.* p. 79 et de Wette, *de morte J. C. expiatoriâ*, Berol. 1813. p. 8.

(2) *An attempt towards an improved version, a matrical arrangement and explication of the twelve minor Prophets.* London, 1785.

(3) *Auserlesene Theol. Biblioth.* IV. B. II. S. p. 93. Leipzig 1787.

(4) Cf. Dathii *Proph. min.* in not. ad Zach. IX: 1. Eichhorn in 1ª. ed. operis: *Einl. in das A. T.* T. III. p. 395-401. αὐθωτίαν horum Capp. defendit; in 2ª. vero edit. fluctuat; coll. ejus *Allgem. Biblioth. der Bibl. Liter.* T. I. P. VI. p. 1047. Leipz. 1788. Denique in 4ª. edit. *Isagoges* fusius de illâ lite agens T. IV. p. 442-460. ea argumenta, quae in priore ed. pro horum Capp. attulerat αὐθωτίᾳ, ipse refutavit p. 455. In opere: *die Hebraische Propheten*, T. III. ubi vaticinium quod Cap. IX. invenitur, exposuit, p. 415-

428

Digitized by Google

come posteriorem hanc vaticiniorum partem, propter Matth. XXVII: 9, Jeremiae tribuerunt; auctor, quem memoravi, anonymus, Döderleinius et Kidderus ab eo citatus, (1) eam variis fragmentis constare putarunt vatum universe antiquiorum; eaque ab ipso Zacharia in unum fasciculum collecta esse conjecit Stinstra. (2) Eichhorn (*Isag.* l. l. p. 445.) Zachariam, si haec ediderit oracula, per 188 annos prophetico munere fungi debuisse, statuit. (3) Bertholdus (4) denique, Capp. IX-XI. illi Zachariae tribuit, qui Jesaiae VIII: 2 memoratur, sequentia vero Poëtae, post Antiochi Epiphanis tempora viventi. Non est quod varias hasce refutemus sententias, ideo tantum memoratas, ut videant lectores quantopere a se invicem dissentiant, qui historiae testimonio conjecturas suas praeferunt ac substituunt. (5) Ἀυθεντίαν ho-

428 illud inscripsit: *Ein Ungenannter. — Die Juden auf dem Wege zu ihrer Welt-Herrschaft, nicht vor* 332 *vor Christus.*

(1) Kidderi *Demonstr. Messiae*, P. II. p. 199.

(2) *Oude voorspellingen aangaande den Messias en deszelven Openbaring*, III. p. 411-414.

(3) Serioris universe manûs esse haec Capp. demonstrare etiam conati sunt auctor quidam anonymus in l. *Versuch einer Beleuchtung der Geschichte des Bibelkanons* et Paulus in *Comm.* T. III. p. 130.

(4) *Isagoge Histor. Crit. in V. T.* P. IV. p. 1722 coll. 1707, N°. 1. Cf. cum eo de Wette, *Isagoges in V. T.* p. 357. sqq. et *Comm. de morte Christi expiatoriâ*, p. 8 et 11.

(5) Nec necesse est, ut ad tuendam eorum vaticiniorum αὐθεντίαν conjiciamus cum nostro Vlotenio: *de Bijbel ver-*

horum Capp. IX-XIV. tuiti sunt M. J. H. Beckhaus, (1) Jahnius, (2) Rosenmullerus (3) et Fr. Burc. Koester, (4) quorum argumenta nobis certe persuaserunt, haec eidem Zachariae vati tribuenda esse, cui Cap. I-VIII.

Sed de universo nostri Prophetae libro ut paucis videamus, hujus argumentum, ad erigendos civium animos depressos, praesertim comparatum est. Post libri introitum, qui exhortationem ad resipiscentiam continet, Propheta, duobus mensibus elapsis, octo edidit visiones, Cap. I: 7 — VI: 9, quae si unam excipias, (Cap. V.) omnes Judaeis fata promittunt prospera et singularem Dei, Remp. amplificaturi et religionem conservaturi, favorem, addito mandato, de coronâ Josuae capiti imponendâ, Cap. VI: 11. (5) Biennio fere post,

*vertaald, omschreven en door aanmerkingen opgehelderd*, T. IX. p. 427. Prophetam VIII. priora Capp. coram populo prodidisse, caetera vero non palam prolata sibi reservâsse.

(1) In *Opp. Soc. Haganae* ad a. 1796. *Oordeelk. Verded. van de echth. en ongeschondenh. der Proph. Schriften van het O. V.* pag. 407 sqq.

(2) *Introd. in libros S. V. F. in Epit. redacta* ed. 2. p. 380.

(3) *Scholia in V. T.* ad Zach. cap. IX.

(4) *Meletemata Critica et Exegetica in Zachariae prophetiae partem posteriorem*, *Cap.* IX-XIV. Götting. 1818.

(5) Num. sing. hic pro vulgo recepto plurali posuimus ex lectione, ab Houbigantio propositâ pro עטרות exhibente עטרה, quam etiam Muntinghe sequitur: *Gesch. der Menschh. naar den Bijbel*, T. VIII. p. 47. (not. 96), quaeque confirmatur per coll. s. 14. — Schroederus in

post, alium edidit sermonem, Cap. VII et VIII, de abrogandis jejuniis, cui finem imponit laetissimis depingendis diuturnae pacis et felicitatis diebus. Incertum est, quando vates alteram prodiderit sermonum partem, quae a Cap. IX. incipit. Hâc in libri parte oratio magis poëtica est; nulla hîc accurata temporis definitio, nullae visiones, nisi forte in iis censere velis allegoricam illam descriptionem Pastoris a grege repudiati, Cap. XI: 4-15, quâcum symbolica quaedam ipsius Prophetae conjuncta fuit agendi ratio, sect. 15-17. In ipsâ autem, quam notavimus, diversitate, haec tamen inter utramque horum vaticiniorum partem conspicitur similitudo, quod in posteriore etiam, (si discedas ab eodem illo Cap. XI, ubi Propheta Reip. excidium annuntiare videtur,) ubivis laetiora depingantur tempora. Describit vates victorias, ab omnibus hostibus reportandas; vicinis populis gravissimas minatur calamitates; praevidet magna, quae captura sit Resp. Judaica, incrementa et insigne incolarum in Deum et religionem studium; definit denique in spectaculo quodam, dicas fere coelestis alicujus Hierosolymae, informando; ad cujus vero splendorem ex animi voto depingendum, ei verba fere deesse videntur!

Ex

in *dictatis*, postea laudandis, hoc loco ita pluralem numerum accipit, ut vox explicetur de unicâ eâque insignî coronâ. Addit autem, sibi persuasum esse vocem עטרות formâ plur. solenni usu fuisse receptam de unâ, sed majore atque ornatiore coronâ. Ita occurrit eadem Job XXXI: 36. cf. ipsius *Gramm. Ling. Hebr.* reg. C. *g.* p. 171 et *Synt.* reg. XXV. p. 307. A. Schultens in versione, item in dictatis suis msf., pluralem retinuit.

Digitized by Google

Ex brevi, quem dedimus, hujus libri conſpectu patet, non mirandum esſe in ipſo vaticinia de Mesſia reperiri, quippe quae cum argumento ejus conſolatorio bene conveniant. Putamus autem plura esſe loca, quibus Propheta ipſum definite reſpexerit, non conſulto quidem de eo agens, verum iterum iterumque ad ſeriora tempora digrediens, atque ita in Mesſiae mentionem incidens, quod non ſemel in ipſius vaticiniis conſpicitur. In priore libri parte de Mesſia agitur nomine צֶמַח, Cap. III: 8, 9. VI: 12, 13. atque hic ſacerdotibus inprimis promittitur, ſacerdotio omnem gloriam reſtituturus, Regis et ſummi Pontificis dignitatem conjuncturus. In alterâ parte Regis occurrit atque Pastoris (ποίμενος λαοῦ) appellatio, et quaedam de eodem praedici videntur prorſus ſingularia, nec minus gravia, non tantum ipſius majestatem, ſed magis etiam ejus modestiam et mala quae pasſurus esſet et malitiam, quâ ipſum cives repudiaturi esſent, deſcribentia. Quâ in re propria quaedam horum vaticiniorum nota cerni videtur, quae ad nostrum quoque locum interpretandum vim habet. Neque hanc animadverſionem rejicient, qui nobiscum Cap. XI: 13. (1) de repudiato Mesſia et XII: 10 ſq. (2) de Judaeorum, propter ipſum cruci a ſese affixum, luctu ex-

(1) De h. l. conf. Muntinghe, l. l. VIII. p. 163. praeſertim in notâ 100. p. 48-50, ubi ipſis illis Schroederi dictatis allatis, quae ego quoque laudavi, locum illustrare conatur. Cf. etiam Roſenmuller ad h. l.

(2) Venema *in Zachariam* p. 570-580.

Digitized by Google

explicant. Quicunque autem ea, quae vates noster dixit de temporibus Maccabaeorum, ab iis quae postea eventura esse docet, recte distinxerit, mihi concedet, ipsum non terrestrem Regem Judaeis promisisse, sed meliorum praesertim bonorum auctorem, verae religionis ante omnia strenuum vindicem.

Mirum itaque nemini videri debet, nos apud talem Prophetam, vaticinium invenire de singulari aliquâ vitae περιστάσει venturi cujusdam Regis, non victoris bellicosi, terrestri pompâ insignis, sed perquam modesti, pacem amantis, nihilominus tamen ad fines usque terrae dominaturi. Nec novum cuipiam accidat, hoc vaticinium tam arcte jungi felicissimis Maccabaeorum temporibus, ut inopinato prorsus et mirum in modum Poëta ad seriora tempora descendisse, minusque concinne denuo ad institutum suum rediisse, dicendus esset, nisi novissemus, quam familiare hoc sit et nostro et caeteris Prophetis, ut magno temporis intervallo disjuncta, verumtamen arctissimo nexu conjuncta, ipsorum mentibus sese offerentia, ad laetitiae argumentum cumulandum uno tenore proponant. Haec monere sufficiat, ne difficilior loci cum praecedentibus nexus nos offendat.

Titulus huic vaticinio imponitur, Cap. IX. sect. 1: *Sententia judicialis contra terram Chadrach* (1) (Syri-

(1) Hieronymus van Alphen diss. conscripsit *de terrâ Chadrach et Damasco ejusque quiete*. Traj. ad Rhen. 1723. in quâ *Chadrach* nomen esse dixit Deae Syriacae. Schroederus ipsius Syriae epitheton habuit. Junius, Drusius, Gro-

riam) *et Damascum*, *in quam* veluti *incumbet* (eadem). Nimirum a Jehova, potentissimo suo vindice, Israëlitae a Syris affecti gravissimis injuriis, liberationem et ultionem exspectabant: *in eum convertebant oculos.* Pergit vates in annuntiandâ Dei nomine illâ ultione et describendis malis, quae Chamatho, Tyro et Sidoni imminerent, quas urbes nihil omnino ab interitu servaturum esset. Deus enim omnia quibus confidebant, hostibus traditurus erat, ipsorum arcibus atque castellis subito in mare dejectis, aedificiisque combustis. (1) Ab his ad alios eosque acerrimos transit Judaeorum hostes Philistaeos, qui hîc Tyro junguntur, cum propter foedus, quod cum eâ inierant, tum propterea quod Alexander, post Tyri cladem, Aegyptum petens, simul eos devastaturus erat. Horum igitur quatuor praecipuis urbibus, (Gathâ jam diu dirutâ) mala annuntiantur. Hinc ad tempora transit magis pacifica describenda, populisque victis ipsorum reliquias civibus Judaeis adscriptum iri pollicetur. Jam vero, sect.

Grotius, L. de Dieu interpretabantur: *in terram circumstantem te, o Juda!* Schultens: *in terrâ Chadracenâ.* *Alexandrinus* Γῇ Σαδρακχ; cui interpretationi magna conciliatur auctoritas testimonio nobilis cujusdam *Arabis Transjordanensis*, nomine Josephi Abassi, quod invenitur in Michaëlis *Supp.* p. 677. et apud Rosenmullerum ad h. l.

(1) Cf. Curtius *Histor.* Lib. IV. c. 4. Vid. etiam hujus Alexandri expeditionis pulcherrimam descriptionem apud J. G. Eichhornium, *die Hebr. Proph.* T. III. p. 415-419.

Digitized by Google

sect. 8, graviter docet hanc vim habere omnes illas comminationes, ut Judaeis per singularem Dei custodiam promittatur pax atque incolumitas. Atque ita ad laetiora tempora transitus fit, auspice Messia exspectanda, cujus igitur venturi Regis annuntiatio h. l. contextae orationi et argumento, in quo versatur vates, valde consentanea est.

Nimirum ipsius vaticinii, quod sect. 9. invenitur, interpretatio nos docebit, neminem hic posse spectari nisi Messiam, nec alium in ipsius vitâ eventum, quam solennem in urbem Hierosolymorum Introitum. (1)

Sce-

(1) Praeter notiora subsidia, hic consulere potuimus Diss. quandam, anno 1678 a Zach. Hase P. L. C. defensam cujus hic est titulus: המשיח מלך ציון צדיק ונושע וגו׳ sive de Messia Rege Sionis eoque justo et Salvatore etc. *Diss. ad illustrandum locum Zach.* IX: 9, 10. *et convincendos Judaeos, qui hodienum illum frustra praestolentur, quam Praeside* Johanne Frischmuth, *Ling. Sacr. Prof. Publ. et Facult. Phil. seniore, Domino, Praeceptore, Patrono et Euergeta, debito observantiae et pietatis cultu aeternum prosequendo, publice ventilandam exhibet* Zach. Hase, P. L. C. *Tautenburgo-Osterlandus, mense Martio* a°. MDCLXXIIX. *Jenae Typis Samuelis Krebsii.* Eadem Diss. invenitur quoque in *Thesauro Theologico-Philologico* p. 1016-1024. In eodem opere ejusdem viri occurrit Diss. *de Messia confixo ad Zach.* XII: 10. p. 1042-1054.

Verum inprimis opusculo nostro ornamentum conciliare licet, hic adscribendâ summi Schroederi de Zach. IX. v. 9 et 10. annotatione, quae in illius dictatis msf. oc-

cur-

Scenam illustrem informat Poëta, qualis esse solebat cum Rex, solenniter in regiam suam introductus civitatem, a civibus magnâ laetitiâ exciperetur et inaugurarctur. Verum hoc agens vates noster, si mag-

currit. Quod anteaquam facimus, non possumus non cl. Paravio, Praeceptori carissimo atque aestumatissimo, gratum animum palam profiteri, quod lubenter nobis ea dictata, itemque ea quae citavimus A. Schultensii, in nostros usus adhibenda dederit. Schroederi locus ita sese habet:

Ad Zach. Cap. IX: sect. 9.

„ *Solenne est Prophetis, quando Reipublicae et Ecclesiae Judaicae pacem et felicitatem per duces Maccabaeos restituendam augendamque promiserunt, ut mox inde digressionem faciant ad promittendam adhuc laetiorem rei faciem, sub regno Messiae spirituali. Ita et Zacharias h. l. vaticinatur de adventu Messiae, tanquam Judaeorum Regis, sub cujus imperio felicitas multo adhuc amplior populo Dei obventura esset, quam quidem antea sub ducibus Maccabaeis.* Exsulta valde filia Zion! Jubila filia Hierosolymae! *Haec excitatio ad impensam laetitiam indicat amplitudinem exspectandae felicitatis.* — Ecce Rex veniet tibi! *Emphasin suam habet* tibi, *significans venturum hunc Regem in maximum bonum et commodum Ecclesiae Judaicae.* — Justus et amplificatus ipse *scilicet* erit. *Aliquam difficultatem habet hoc* נושע, *quod vulgo redditur* servatus *et* salvatus. *Messias enim potius dicendus erat* servans *et* salutem praestans, *quam passivo sensu*, servatus. *Hunc scrupulum dissipabit proprietas verbi* נשע, *quae est* amplum esse, *et non tantum transfertur ad salvationem et liberationem, quâ quis ex angustiis in am-*

*pla*

magnificam terrestris Regis pompam depingere voluisset, Principem suum sine dubio magis similem illius victoris fecisset, quem olim alter aliquis Poëta sacer compellaverat, Psalmo XLV. v. 4 et 5, qui locus om-

*pla quasi spatia educitur, sed et ad amplitudinem* honoris, dignitatis *et* potentiae; *qui posterior usus apud Arabes hoc ipso in verbo est frequentissimus. Tali igitur sensu Messias dicitur* נִשָּׂא, amplificatus, *quod ipsi destinati essent amplissimi honores et potentia infinita in coelo et in terrâ. Sequitur* עָנִי, *quae vox notat* miserum, afflictum, inopem: *sed legendum potius videtur* עָנָו, mansuetus: *nam ita legit vetus Interpres Graecus, qui habet* πραΰς; *eamque versionem suâ auctoritate confirmat Matthaeus, hunc locum citans Cap. XXI:* 5. *Praeterea eodem quoque modo legit Paraphrastes Chaldaeus. Duae litterae* Vaw *et* Jod *propter magnam vicinitatem saepius a librariis permutantur, et speciatim duae hae voces* עָנָו *et* עָנִי *variis locis inter se confusae sunt, ut apparet ex variantibus lectionibus Psalm X:* 12, *Job XXIV:* 4. *Prov. III:* 34. *Amos VIII:* 4. *Etsi vero Messiae commode aptari posset epitheton illud* עָנִי, afflicti *et* inopis, *ut humilis status, ad quem se demisit, significaretur; notio tamen* contemptûs *hic parum convenit: modo enim ille dictus erat* amplificatus; *et in ipsum conferendus erat amplissimus honor et potestas, quocum optime convenit notio mansuetudinis; verum illa altera afflictionis et inopiae cum ipso epitheto apte conjungi non potest. Argumentum etiam ex adhortatione ad impensam laetitiam duci potest, quae indicat non alia h. l. quam quae laeta sunt praedici. Aptiorem quoque nexum notio* mansuetudinis *habet cum sequentibus:* Et vectus super asino et super pullo filio asinarum: *hoc enim affertur tanquam specimen*

omnino cum nostro conferatur. Verum ab eo quantum differt Rex, qui hic memoratur! Putes fere, eo consilio vatem hanc solennis ingressûs imaginem ita, ut fecit, duxisse, quo magis eum toto coelo a terrestribus Dominis diversum esse elucesceret.

De

*men animi humilis et mansueti, quod etiamsi esset potentissimus, prorsus tamen alienus foret ab externâ pompâ Regum hujus mundi, quando vecturâ non sit usurus equis et curribus, sed solo asino. Quando mores Israëlitarum adhuc fuerunt simpliciores, omnes absque discrimine solis asinis vehebantur; sed inde a Salomonis regno, quando equorum copia ex Aegypto venit in Palaestinam, asinorum usus evituit, et a Regibus aliisque nobilioribus repudiatus fuit. Sic itaque mutatis moribus, vehi solo asino insigne utique humilitatis et mansuetudinis in potentissimo Rege erat argumentum. Nomen* עַיִר, *quod verti solet per* pullum, *proprie notat* peculiarem quamdam asinorum *speciem, quâ olim pro vecturâ utebantur; ut apparet ex Judd.* X: 4. XIV: 14. *Ita differt a* חֲמוֹר, *quod totum genus asinorum notat, atque hinc per alterum illud pressius restinguitur. Huic per appositionem additur* filius asinarum, *quae phrasis* pullum asinarum *sive* asinum juvenilem, juvenem *notat, plane ut* filius boum *dicitur* vitulus *vel* bos juvenis. *Tria itaque nomina sic sunt conjuncta, ut primum indicet* genus jumenti, *secundum definiat* peculiarem ejus speciem, *tertium denique exprimat* aetatem ejus juvenilem."

Ad sect. 10.

„ *Priore membro significatur, amplitudinem regni Messiae non esse armis et bellico apparatu promovendam, sed per blandam vim verbi Euangelici; quo significatur, totius orbis gentes ad suavissimam pacem inter se colendam esse revocan-*

 *das.*

Digitized by Google

De hujus nunc Regis adventu, praeconis instar, cives suos admonet Propheta, eosque impense gaudere jubet: *valde exsulta*, inquit, *O filia Sion! Jubila O filia Hierosolymae!* Utraque compellatio, ex parallelismi legibus, plane idem valet; quare eam in unam dic-

*das.* Et exscindam currus in Ephraim. Ephraim *dicitur pro* Israëlitis, *inter quos haec tribus olim primaria fuerat dignitate et viribus. Sic* Hierosolyma *pro* Judaeis, *quorum fuit metropolis. Dein* Israëlitae *et* Judaei *per metonymiam dicuntur pro* quibuscunque civibus regni Messiae, *sive, quod idem est, pro* totâ Ecclesiâ, *quoniam ea Prophetae aetate solis Israëlitis et Judaeis constabat, aliae autem gentes ad illam Ecclesiam ita accessurae erant, ut ejus corpori associarentur; quare saepe in stylo Prophetarum sub nomine* Israëlitarum *et* Judaeorum *comprehenduntur.* Currus *et* equi *non de aliis quam de* bellicis *accipi debent; prout statim sequitur* arcus bellicus, *qui per synecdochen quodcunque armorum genus omnemque bellicum apparatum notat. Ea omnia exscindentur: quod significat eorum nullum usum fore in fundendo et amplificando regno Messiae spirituali; quo sensu primae phrases leguntur Mich.* V: 9. Et loquetur pacem ad gentes *i. e. benigno Euangelii sermone gentes regno suo subjiciet, imo legem quoque mutuae pacis et concordiae ipsis haud repugnantibus imponet.* Et dominatio ejus erit a mari ad mare et a fluviis ad fines terrae. *Eisdem hisce phrasibus amplitudo regni Messiae, per totam orbem extendendi, describitur quoque Psalm.* LXXII: 9. *Nullum quidem dubium est, eas alludere ad descriptionem amplitudinis regni Salomonici, quod secundum* 1 *Reg.* V: 1. *patebat inde a fluviis i. e. ab Euphrate usque ad terram Philistaeorum et usque ad terram Ae-*

Digitized by Google

dictionem contraxerunt, h. l. citantes, Euangelistae. Urbis aut regionis *filios* vel *filias* dici ipsius *incolas*, inter omnes constat. Cff. loca Ps. CXXXVII: 8. CXLIX: 2. Jerem. IV: 4. Amos V: 1. Zeph. III: 14. Ps. CXLV: 13. Voces, quibus ad laetitiam exhortatur cives Propheta, exquisitae sunt, iisque non tantum cordis laetitia, sed et per ora et gestus corporis proditum gaudium significatur: prior enim vox respicit ad choreas, in orbem duci solitas, posterior de tremulo et fracto sono, qualis tubae est, sumitur (1). LXX. in-

*Aegypti; verumtamen Messiae regno longe ampliores fines assignantur, neque unquam de Salomone dictum est, vel dici potuit, eum dominaturum esse usque ad finem terrae. Itaque sensus hic est, ut tacite fiat regni Messiae cum regno Salomonis comparatio, tali modo explicanda; quemadmodum Salomo olim regnavit a mari Rubro ad mare Mediterraneum, ita Messias regnabit ab extremo totius orbis mari usque ad mare extremum lateris oppositi; et, quemadmodum Salomo regnavit inde a fluvio, scilicet Euphrate, usque ad fines Palaestinae Occidentales, ita Messias inde ab extremis Orientis finibus, qui metonymice per fluvium Euphraten, veterem terminum regni Salomonaei Orientalem, designantur, imperabit usque ad ultimos fines Occidentis, adeoque per totum, quam late patet, orbem terrarum.*" Haec Schroederus.

(1) Cf. Venema, l. c. p. 349. item Stinstra, T. III. p. 417. et Jahnii *Appendix Hermeneuticae* sive *Exercitationes Exegeticae*, Fasc. I. p. 197. Paulus *in Comm.* haec verba ita exhibet:

„ *Tanze dem Freudentanz Zions Tochterstadt!*"
„ *Jauchze laut auf, Jerusalems Tochterland!*"



Digitized by Google

interpretantur verbotenus: Χαῖρε σφόδρα, θύγατερ Σιών, κήρυσσε θύγατερ Ἱερουσαλήμ! pro quo Matthaeus posuit: Εἰπατε τῇ θυγατρὶ Σιών, cujus dicti formam ex alio vaticinio Jes. LXII: 11 et 12, scribentis menti obversante, desumere potuit. Joannes vero dicti sensum breviter expressit, per formulam: Μὴ φοβοῦ θύγατερ Σιών. (1) Nostra sententia ita exprimitur, Zach. II: 14: *Ova et gaude filia Sion, quia ecce veniam!* Quod ii animadvertant velim, qui, inter priorem atque posteriorem vaticiniorum Zachariae partem, nullam styli similitudinem agnoscunt. (2) Utroque autem loco eâdem fere ratione caussa memoratur, quare gaudendum sit Sioniticis.

*Ecce Rex tuus ad te venit!* Opponitur hic Rex exagitatori atque bellatori, qui terram vastaverat, sect. 8. Videre sibi videtur Propheta Messiam, qui solenni pompâ metropolin ingrediatur. Hic futurus erat צַדִּיק: quod, Chaldaeo interprete, est זַכָּאי, *innocens;* Grotio φιλόπατρις, non tyrannus, aequus. Justitia Regis cernitur in suo cuique tribuendo sine προσωποληψίᾳ, atque in temperandâ aequis legibus civi-

(1) Van Herwerden, l. l. p. 379. Joannis dictum trahit ad metum Judaeorum, quod adhuc Jesum tam male accepissent. Alii explicant: *noli timere a Romanis et reliquis tuis hostibus.* Multi vero Joannem ad alteram quoque quampiam vaticinationem respicere credunt; v. c. ad Jes. XL: 9. XLIV: 1 vel Zeph. III: 16. quae etiam est Vorstii opinio, *Phil. Sacr.* II. p. 74.

(2) Vid. Beckhaus, l. l. p. 412.

Digitized by Google

vitate. Haec nulli profecto unquam Regi tam proprio jure tribuebatur, quam Messiae. Non mirum itaque saepius ab hâc dote ipsum laudari. Jes. XI: 5 de eo dicitur: *Justitia cingulum erit ejus lumborum;* et Jer. XXIII: 5 et 6 *justum germen*, sive *propago*, vocatur, cujus gloriosum futurum erat nomen יְהוָה צִדְקֵנוּ. Ne de aliis dicamus locis. Matthaeus et Joannes hanc vocem non expresserunt. Item iidem omiserunt sequens נוֹשַׁע, quod vehementer exercuit interpretum ingenia. Multi corruptelam hîc in textu esse opinati sunt, (1) quam corruptelam nonnulli Judaeis tribuerunt, qui illud pro מוֹשִׁיעַ, *Servatore* (2) substituerunt, quae vero conjectura, a Grotio etiam laudata, nullo fundamento nititur, et satis refutatur per Masoretharum annotationem ad Jes. XLV: 17, ex quâ patet vocem נוֹשַׁע ter tantum in V. T. inveniri, ibi nimirum, dein nostro Zachariae loco, tandem tertio Deuter. XXXIII: 29. Eadem vox ab Alexandrinis explicatur σώζων, ab Hieronymo et Vulgatâ: *Salvator*, a Chaldaeo פְּרִיק, a Syro ܦܪܘܩܐ. Arabs eâdem hîc voce utitur, quae ab ipso usurpatur ad exprimendum Graecum σωτὴρ 2 Petr. I: 1. Schindlerus in Lex. aliique illud vocabulum non habuerunt pro Part. Pass. v. יָשַׁע, sed pro nomine Heëmantico ejusdem significationis ac מוֹשִׁיעַ, quia Partt. Pass. saepius in nomina degenerent sensu ac-

(1) Sic G. Huntlaeus Jesuita, *in Contr. de Script. S.* C. X. § 9.

(2) Ita vox illa occurrit Jes. XLVII: 11. Cff. Grotius in Matth. XIV: 2. et A. Schultens, *Fund. Ling. Hebr.* p. 264.

Digitized by Google

activo. (1) Rosenmullerus passivum hîc activo sensu sumi negat, propter loquendi usum Hebraeis receptum, et Jahnius (2) hoc loco non recedendum esse dicit a constante significatione, quâ haec vox ubique sit: *Salvatus, periculo aut miseriâ exceptus.* Hae difficultates tolluntur, si attendimus ad significationem verbi יָשַׁע et Schroederum consulimus, quem nos quidem sequimur. Existimamus itaque per vocabulum יָשׁוּעַ eum intelligi, qui est *servatus, salute praeditus*, sive liberius *gloriosus, majestatis plenus.* Est hic titulus vere regius, quo nihil facile amplius aut honorificentius excogitari possit. Conjugatio Niphal certissime hanc potestatem admittit; (3) atque origo Radicis יָשַׁע eandem hîc efflagitat: notat enim proprie *laxus, amplus, spatiosus fuit*, atque inde in Niphal *talis factus est vel declaratus* (4). יָשׁוּעַ eleganter opponitur רָשָׁע sect. praec. (5) Fateor autem in Reges

(1) Hoc ad locum nostrum applicat Venema p. 352 et tale quid etiam van Herwerden in *Comm.* p. 381 et 382 conjicit.

(2) *Appendix Herm.* p. 198.

(3) Quod jam vidit Markius *Exercit in loca V. et N. T.* T. I. p. 209.

(4) Palmius vertit: „ *En zegerijk is Hij.*" Paulus in Comm. „ *als ein Gerechter und aus dem Kriege glücklich* „ *Geretteter.*"

(5) Qui spinosas legere velit de hâc voce disputationes theologicas, adeat Coccejum et Venemam ad h. l. item Glassium *Phil. S.* L, I. T. 1. Nobis otium fecit Schroederus.

Digitized by Google

ges hujusce mundi recte convenire hunc titulum, sed si quaeras, in quem prae caeteris omnibus conveniat, hic sine dubio ille est Messias, cujus amplissima, neque ullis verbis pro merito celebranda, majestas in mediâ etiam ipsius ταπεινώσει haud raro clarissime elucesceret. — Pronomen הוא haud sine emphasi legendum est, atque ad praecedens Regis nomen referendum, quod etiam LXX fecerunt. Clemens vero Alexandrinus ad sequentia trahit ut sensus sit: καὶ αὐτὸς πρᾶος καὶ ἐπιβεβηκώς, quod fecit etiam Hieronymus in Comm. ad Zach. T. VI. p. 118. (ed. laud.) qui ita loci sententiam expressit *Justus et Salvator, ipse pauper et adscendens super asinam et pullum, filium asinae.* Venema significat, per accentuum rationem, se ab amplectendâ hâc interpretatione, caeteroquin sibi blandiente, retineri.

Transit nunc Vates ab amplitudine Regis celebrandâ, ad majoris adhuc laetitiae argumentum commemorandum, ejus modestiam nempe, item duabus notis conspicuam. Rex enim, quem celebrat Vates, primum nunc dicitur עני, quae vox plerumque quidem *pauperem* significat, nec, nostro tamen loco, commode hanc notionem habere potest. (1) Etenim in

(1) Non tantum plurimi Theologi hic praesertim de Christi ταπεινώσει agi statuerunt, sed multi antiquiore etiam tempore celeberrimi Philologi nostro loco *inopiae* et *paupertatis* notionem retinuerunt; veluti Coccejus, A. Schultensius, Stinstra l. l. p. 421. Venema, p. 354, 354 aliique.

Digitized by Google

in ſcenâ hîc informatâ Regis, ſolenniter ſui regni metropolin ingredientis ac laetis civium acclamationibus excepti, *paupertatis* mentio, quâ Princeps augustisſimus cerneretur, idoneum locum non invenit. Quod hoc certe tempore, qui Orientalis poëſeos ſenſu imbuti ſunt, facile mihi asſenſuros puto. Et vero aliam huic voci ſignificationem hîc ſubſtraverunt LXX, *Aquila*, *Syrus*, *Chaldaeus* et ipſe Euangelista noster Matthaeus. Ex horum enim omnium interpretatione, vox nostro loco legenda est, quae *modestum*, *manſuetum*, πραῦν, ſignificet. Quae notio et in hoc veterum conſenſu maximum habet praeſidium, et Regis perſonae optime convenit, et confirmatur per mox memoratum *modestiae* ipſius documentum. Quare dubitandum non videtur, quin haec vocis, hîc occurrentis, ſignificatio nobis amplectenda ſit. Verum utrum vocabulo vulgato עָנִי ea tribui potest? Quoniam hâc de re non conſtet, Schroederus legendum conjicit עָנִיִּ; quae ſane conjectura facilitate ſuâ commendatur. Nemo enim ignorat, quam ſaepe ſecum invicem permutentur in Codd. litterae *Vaw* et *Jod*. (1) Verum etiamſi, in tali praeſertim re, maximi facienda est ſummi hujus Viri auctoritas; non deſunt tamen, quae haud ſine veri ſpecie, ad vulgatam defendendam, in medium afferre posſis. Etenim Rabbi Moſes Haccohen et Aben Esra, cum h. l. de Mesſia, ne hic *pauper* diceretur, interpretari nollent,

(1) Vid. Muntinghii *brevis expoſitio Critices V. T.* p. 93. et, quem citat, Cappellus.

Digitized by Google

lent, probabiliter aut certo in ſuis Codd. vocem legerunt עָנִי. Hanc autem *manſuetudinis* etiam ſignificationem habere, ſuâ quisque ratione ſtatuerunt (docente Roſenmullero ad h. l.) R. David Kimchi, Jonathan, Salomo et Abarbanel. (1) Eadem certe ſignificatio optime illi convenit, Zephan. III: 12, ubi eandem *et* LXX. ac Chald. expresſerunt *et* Kimchi praetulit, *et* praecedentis ſectionis, ubi *arrogantia* et *fastus* memoratur, oppoſitio requirere videtur. Quae cum ita ſint, nondum video vulgatae lectionis עָנִי deſperatam esſe defenſionem. Sed ſive vocabulum ita legatur, ſeu cum Schroedero עָנָו; recte certe a Matthaeo vertitur πραΰς. Caeterum, ad h. l. fortasſe reſpiciens, dixit Christus (Matth. XI: 29.) πρᾷός εἰμι καὶ ταπεινὸς τῇ καρδίᾳ.

Hic nunc Rex urbem ingredi a Vate dicitur: *Aſino vectus*, nempe *aſino ſylvestri*, *aſinae filio*. Hoc in dicto ſermonis quaedam redundantia est; unde haud improbabiliter conjicias, ad hanc potisſimum rem attentum reddere lectorem voluisſe Zachariam. Et vero inſigne *modestiae* documentum hîc pingi, tam clare docent Schroederi animadverſiones, ut non opus ſit his quidquam addere. Nec verba multum difficultatis habent. Vocem חֲמוֹר *aſinum* univerſe notantem, LXX.

(1) Posteriores hi, cum Mesſiam עָנִי dici, propter *manſuetudinem* potius quam *inopiam*, contendisſent, valde reprehenſi ſunt ab Hulſio, *Theol. Jud.* L. I. P. I. p. 164. Conf. etiam Folmer, *regtſtreekſche Voorſp. van J. C.* in *Opp. Soc. Hag. ad ann.* 1804. p. 204.

Digitized by Google

LXX. per generale vocabulum ὑποζύγιον verterunt, quo ipso, in fine sectionis, ad Hebraicum אֲתֹנוֹת exprimendum usus est Matthaeus, qui h. l. ὄνον habet. Sequitur וְעַל־עַיִר; ubi dubitandum non est, quin copula ו per *nempe*, *nimirum* vertenda sit, ita ut praecedens vocabulum per sequentia explanari eadem indicet. (1) Ita Kimchius, Euthymius Zigab. (a L. Brugensi citatus in *Bibl. Crit.* ad Zach. IX: 9.) Grotius, Hombergius p. 65 (a Wolffio allegatus) Muntinghius l. l. Dathius et Rosenmullerus ad h. l. Si fuerunt, veluti Venema aliique, qui hic duos invenerint, quibus Rex usus sit, asinos; hos dogmaticis potius, ut cum Matthaeo h. l. conciliarent, rationibus ductos esse opinamur, quam exegeticis. Quamquam hoc subsidio minime nos indigere, supra jam, Matthaeum cum collegis conferentes, vidimus. Porro עַיִר jumentum notare ex asinorum genere, liquido apparet ex adjecto *asinae pullo*. Haud improbabilis est plurimorum sententia, per hanc vocem proprie designari *asinum sylvestrem*, quam ipsam vocem Muntinghius in versione suâ usurpavit. — אֲתֹנוֹת in plurali indefinite dicitur pro singulari אֲתֹנָה; sicuti cum alibi fit, tum Gen. VIII: 4. et Judd. XII: 7. Quod superest, verba וְעַיִר etc. LXX expresserunt, καὶ πῶλον νέον; Matth. καὶ πῶλον υἱὸν ὑποζυγίου; Joannes tandem, qui brevius locum citans, vocem חֲמוֹר non verterat, ἐπὶ πῶλον ὄνου.

De

(1) Cf. Schroederi *Synt.* Reg. CIX. ה. p. 431. et Lexica Hebr. i. v. item, de eodem usu copulae καὶ, Lexica N. T.

Digitized by Google

De vaticinii nostri sect. sequente, decimâ, non opus est, ut post ea, quae dixit Schroederus, multa moneamus. Male hanc ipsi Regi dicenti tribuit Eichhornius. (1) Propheta potius hîc sequelas describere censendus est ex illius adventu fluxuras, regnique indolem pacificam, et bona hinc in cives quâquâversum redundatura. Cf. similis quodammodo locus Jes. XI: 3 sqq. Mox autem sect. 11. et reliquâ deinceps hujus Cap. parte, redire Vates videtur ad prius suum argumentum, felicem nimirum Judaeorum sub Maccabaicis Principibus statum, tractandum. Atque haec ita cum vaticinio de Messia edito cohaerent, ut ad cives suos in exteris regionibus degentes sermonem jam convertens, reditum iis in patriam suadeat, quo et ipsi felicitatis participes fiant, per maximum illum Regem in terram Israëliticam redundaturae. Hinc patet cum universo Cap. argumento digressionem de Messia apprime convenire. Caeterum post omnia quae jam dixi, vix opus est ut moneam, mihi Zachariam videri non figurate tantum Messiae modestiam et mansuetudinem, veluti in tabulâ quâpiam, lectorum oculis subjicere voluisse, sed multo magis definitum aliquem ex Messiae vitâ eventum praesignificare. Cui sententiae in totâ loci ratione praesidium esse confido. (2)

Sed

(1) *Die Hebr. Proph.* III. p. 423.

(2) In hunc sensum ipsi quoque Judaei nostrum acceperunt vaticinium. Cum enim duplicem Messiae statum describi viderent, contemptum alterum, alterum gloriosum,

Digitized by Google

Sed videamus etiam, quid hâc de re, ex loci citatione apud Euangelistas, efficere possimus. Matthaeus sect. 4. eâ utitur citandi formulâ, quae saepius apud ipsum occurrit: Τοῦτο δὲ ὅλον γέγονεν κ. τ. λ.

In

sum, ex his duos Messias fecerunt, quorum alterum vocârunt Josephi filium, alterum Davidis. In Talmude controversia illa ita tollitur ut dicatur. „ *Scriptum est*: (*Dan.* VII: 13.) „ Ecce in nubibus coeli venit! *et scriptum est*: (*Zach.* IX: 9.) „ pauper et vectus asino. *Si mereantur, veniet in nubibus* „ *coeli, si non mereantur, pauper et vectus asino.*" Vid. Raymundi *Pugio fidei.* P. II. c. IX § 13. p. 412. ed. Lips. Glaeseneri *Disp. de gemino Judaeorum Messia.* Helmst. 1737. Rosenmulleri *Scholia ad Malach.* III. 1. p. 389. et de Wette, *de morte J. C. exp.* p. 78. De asino illo quascunque invenerunt nugas. Vid. R. Salomo in *Comm.* ad Exod. IV. et Lightfoot in *Hor. Hebr. et Talm.* ad Matth. XXI: 5. — Fuerunt quidem, qui de alio quopiam Principe vaticinium interpretarentur. In Judaeis, R. Moses Haccohen intelligendum esse judicabat Nehemiam Tharsatem, qui dicitur *Rex Judae*, (Nehem. VI: 6, 7.) sed hujus sententiam improbavit R. Aben Esra, locum de Juda, filio Chasmonaei, explicans. Alia sententia, a Judaeis etiam, ut videtur, oriunda, primum a Theodoro Mopsuesteno (vid. Joh. Rein. Rus *Harm. Euang.* L. V. P. II. Sect. I. Subs. II. C. 1. p. 54.) quantum novimus, inter Christianos prodita, cui postea Grotius aliique calculum adjecerunt, nostram vaticinationem de Zerobabele agere statuit. Judaeos vero, Messiam hic non agnoscentes, graviter reprehenderunt Athanasius (ex officinâ Commelinianâ a°. 1600.) I. p. 797. D. ubi exstat disquisitio cui titulus:

ut

In his vocabulum ὅλον, quod a paucis, ſed egregiis omittitur testibus, aliunde huc male traductum putat Griesbachius. (*Comm. Crit.* P. II. p. 1.) Sed nec improbabile mihi videtur, perperam ab his testibus omisſam esſe vocem, quandoquidem ſecum reputarent librarii, non *omne* aut *totum* illud, quod Euangelista narraverat, Zachariae loco contineri. Caeterum de vaticinii ratione et argumento, ſicuti antea etiam ſignificavimus, ex hâc citandi formulâ nihil certi effici potest. Utrum vero ἵνα rei exitum tantum, an conſilium ſignificet, ex iis elucescet, quae P. II. disputabimus. (1)

Ve-

εἰς τὸ πάθος τοῦ Κυριοῦ καὶ εἰς τὸν σταῦρον: item II. p. 318. Cf. Justinus *Martyr* in *Apol.* II. *pro Christianis* ed. l. p. 59. Chryſostomus εἰς τὸ κατὰ Ματθ. Ευαγγ. ὁμιλ. ξϛ (67). — Quod magis mireris, hoc est, quod ipſe adeo cl. de Wette in *Comm. de J. C. morte expiatoriâ* p. 11. de Messiae in urbem Hieroſolymae Introitu nostrum locum acceperit. Aliâ ratione vaticinium interpretati ſunt cl. J. C. R. Eckermann, *Theol. Beyträge*, 1. ſt. (a°. 1790.) p. 89. coll. p. 7. Chr. Fr. Ammon, *Bibl. Theologie*, II. B. 2°. *Ausg.* (1801) p. 202. et Paulus in *Comm. l.* T. III. p. 89-135 item in opere: *das Leben Jeſu*, T. II. p. 83 et 84.

(1) De citandi, quae h. l. invenitur, formulâ videatur Overdorpius, *over de aanh. v. plaatſen uit het O. V.* in *Opp. Soc. Hag.* ad ann. 1804. p. 52, cujus operis accuratisſima invenitur cenſura in diario: *De Recenſ. ook der Recenſ.* T. I. p. 365-391. item Vlotenius, *Inlcid. tot het N. V.* § 16. Caeterum quae ſupra diximus, ſatis docent, nos

Verum inprimis videndum est, quomodo in nostro vaticinio laudando versatus sit Joannes. Hic, postquam brevissimâ citandi formulâ usus erat, καθώς ἐστι γεγραμμένον, uberius deinceps sect. 16. addidit: Ταῦτα δὲ οὐκ ἔγνωσαν — ἐποίησαν αὐτῷ. In his ἐπ' αὐτῷ idem notat ac περὶ αὐτοῦ, quod glossema invenitur in Cod. D. Ante ultima ταῦτα ἐποίησαν αὐτῷ, supplendum est ex praecedentibus ὅτι. Verbum autem ἐποίησαν vel impersonaliter accipi potest, cum Grotio, Vlotenio, Langio, Tittmanno, Kuinoelio, Lückio; vel, cum Michaële et Herwerdenio, ad eos referri, qui in initio sectionis memorati erant, μαθητάς. Utramvis rationem sequaris, summa sententiae huc redit: „Primum quidem, cum solenniter Hierosolymam ingrederetur Christus et honorifice a populo exciperetur, hujus rei cum Zachariae vaticinio convenientiam et nexum non intellexerunt Apostoli; verum postquam Jesus, per reditum in vitam atque in coelum, summâ gloriâ affectus erat, eorum, quae de Magistro a Vate praesignificata erant, eorumque, quae ipsi solenniter intranti evenerant, memoriam recoluerunt, atque ita demum, per hunc Introitum illud vaticinium confirmatum esse, sibi persuaserunt."

Ex ingenuâ hâc Euangelistae professione, apparere putat cl. de Wette (1) Jesu tempore Zachariae locum

nos non iis assentire, quae de hâc citatione dixit cl. Paulus, in opere *das Leben Jesu*, l. 1. p. 84.

(1) In *Comm.* cit. *de morte J. C. exp.* pag. 75.

Digitized by Google

cum de Messia nondum explicatum fuisse. Verum quo jure hoc statuatur, non video. Plura sane in V. T. vaticinia docebant, ultima quaeque passurum esse Messiam. Nec tamen continuo cum hostibus traditus esset ac cruci affixus Sospitator, horum vaticiniorum cogitatione dejectos suos animos erigebant discipuli. Non magis igitur mirum hoc est, quod non statim Christi Ingressum cum Zachariae voce compararent; praesertim cum praesentibus Magistri satis perpendendis toti nunc intenti essent, et per alias ex aliis mentium commotiones ita deinceps exagitarentur, ut placidae meditationi tempus atque opportunitas vix et ne vix quidem iis concederetur.

Alia sunt, quae longe meliore jure ex hâc Joannis professione efficere possimus. Hinc enim apparet discipulos, cum Christum intrantem solenni pompâ exciperent, minime hoc egisse, ut demonstrarent aut populo persuaderent, eundem eum esse de quo Zacharias jam cecinisset, Messiam, asino vectum; docemurque adeo, non per hominum fraudem quampiam, sed per singularem Dei Providentiam ac Sospitatoris sapientiam, hoc factum esse, ut ita per rei exitum comprobaretur Prophetae dictum. (1) Quod vero Apostoli etsi primum cogitationibus in alia omnia abeuntes, postea tamen cum Christus gloriâ affectus, ipsi vero per Spiritum S. illustrati essent, hoc vaticinium haud dubitanter de Domino suo explicandum pu-

(1) Cum hisce dictis conf. van Herwerden ad h. l. Joannis.

Digitized by Google

putarent, nonne hoc persuasioni nostrae de vaticinii sensu, ex ipsius consideratione haustae, majorem etiam conciliare probabilitatem censendum est? Ita certe nobis videtur, putantibus hic, si unquam alibi, dictorum V. T. *interpretes*, proprie dictos, egisse Apostolos.

## § IV.

*Narrationum interpretatio de Christo proficiscente eodemque vario honore affecto.* (Matth. XXI: 7b-9. Marc. XI: 7b-10. Luc. XIX: 35-31. Joann. XII: 12-13 et 17-19.)

### *De Jesu, asinum conscendente.*

Videtur Jesus, postquam legatos suos Bethphagen dimiserat, ad montis Oliveti radicem eos exspectâsse, (1) et interea cum reliquis discipulis et amicis de consilio, quo Hierosolyma adiret, collocutus esse; forsan etiam mandati modo dati iis rationem exposuisse. Conjicimus enim, tunc jam plures Christo adfuisse homines: nam statim post discipulorum reditum honores in ipsum conferebantur. Nimirum cum rediissent legati, ea facta sunt, quae narrârunt Matth. s. 7b. Marc. s. 7. Luc. s. 35. Hìc primum paucis nobis videndum est, de praecipuâ, quae apud Matthaeum et Marcum invenitur, lectionis varietate, ubi ta-

(1) Vid. J. Maknighti *Comm. Harm. in 4. Euangg.* Ed. A. F. Ruckersfelderi § CXI.

Digitized by Google

tamen plura, quae attingi posſent, praetermittimus. Apud priorem igitur, pro vulgato ἐπεκάθισαν plurimi testes legunt ἐπεκάθισεν. Non negandum quidem est, pro receptâ lectione ipſius militare majorem difficultatem. Verumtamen optimorum Codd. Verſ. et Patrum auctoritas, item probabilitas ex importunâ Lucae collatione ortam esſe vulgatam, moverunt Millium, Griesbachium, Matthaeium, Kuinoelium, Fritzſchium, ne plures laudemus, ut alteram praeferrent; quorum judicium nos quoque, post longam dubitationem, ſequimur. Caeterum utramque vocem αὐτῶν in hâc Matthaei ſect. variâ ratione mutârunt aut ſustulerunt librarii: verum haec omnia eorum tantum conamina ſunt difficultatem tollendi, ex Matthaei cum Marco et Luca comparatione ortam. — Apud Marcum, ineunte ſect. 7, pro ἤγαγον legitur ἄγουσι in Cod. C. aliisque nonnullis; φέρουσι vero in Cdd. B. L. atque apud Origenem. *Priorem* lectionem vulgatae ſupparem judicavit Griesbachius, in *N. F. editione majore*, non item in *Euangg. Synopſi; posteriorem* vero diſerte praetulit in *Comm. Crit.* II. p. 155. Sed, etiamſi primo obtutu ἤγαγον videri posſit, ex Matthaeo ac Luca, huc male traductum esſe; ſatis tamen defenditur idem, et per longe majorem testium numerum et per probabilitatem inprimis, quâ ſtatuere nobis licet, utramque variam lectionem, ex librariorum, Alexandrinae potisſimum recenſionis, ſtudio fluxisſe, huc verbum invehendi, quod *tempore* conveniat cum ſequenti ἐπιβάλλουσιν, atque ita grammatice rectius ſit. Nimirum, conſen-

tiente etiam Griesbachio, optimorum testium auctoritate, mox apud nostrum, pro ἐπέβαλον legendum est ἐπιβάλλουσιν. Utrum vero, in fine hujus sect. Marcinae, pro vulgato ἐπ' αὐτῷ, legendum sit ἐπ' αὐτὸν, in testium praecipuorum dissensu, mihi non constat.

Quod ad loci interpretationem attinet; hic nihil magis eruditos exercuit, quam quod Matthaeus dicit, et vestes injectas esse, et Christum consedisse ἐπάνω αὐτῶν, in plurali numero. Sed prius quod spectat; utrique fortasse jumento vestes immiserunt discipuli, utro Magister uti vellet nescientes, ipsique ejus rei optionem relinquentes. Verum quo referendum est alterum ἐπάνω αὐτῶν, in fine sectionis? Simplicissimum videri possit, ut ad ἱμάτια proxime praecedentia referatur. (1) Enimvero Euangelista, cum prorsus eodem modo repeteret ἐπάνω αὐτῶν, hoc ita cum eâdem formulâ, quam modo usurpaverat, conjunxisse videtur, ut ad idem objectum respiceret, quo haec referebatur. Et magis etiam memoratae interpretationi collatio repugnat narrationis Marcinae, quae si a singulari numero, pro plurali posito, discedis, universe eandem formam habet, atque ad Matthaeum igitur interpretandum adhiberi debet. Quare adhuc puto, ad *asinum* et *pullum* pronomen αὐτῶν re-

(1) Hanc interpretationem secuti sunt Theophylactus, Euthymius Zigabenus, Beza, Schleusnerus et nuper Fritzschius, qui tamen, etiamsi id h. l. non doceatur, utroque asino, alternis vicibus, Christum insedisse putat.

Digitized by Google

referendum esse; ut Christus, ex indefinitâ illâ nostri Euangelistae ratione narrandi, cujus plura apud ipsum exempla sunt, *iis* insedisse dicatur, i. e. *eorum alterutro* s. *uno*. Nihil certe usitatius fuisse putatur, quam numeri enallage; in quam rem laudantur ab interpretibus Gen. XIX: 29. Judic. XII: 7. Matth. IX: 8. XXVII: 44. (1) Quidquid sit, hoc ante omnia tenendum est, Jesum uno tantum insedisse asino, non vero utroque alternâ vice; qui error in antiquâ Ecclesiâ orthodoxâ universe conspiciebatur, a multis etiam serioris aetatis interpretibus propugnatur, et, quod sane mirandum videtur, in ultimo quoque Matthaei commentatore Fritzschio defensorem nactus est. Originem duxisse videtur illa sententia ex allegorizandi studio, quod viguit in antiquâ Ecclesiâ; quod multis exemplis ductis ex Origene, (2) Athanasio, (3) Chrysostomo, (4) Theophylacto, (5) Hieronymo

(1) Vorstius in *Phil. Sacra.* Cap. XV. p. 379-385. de hâc classe Hebraismorum egit, et eâ opportunitate plura de nostro loco in medium attulit. Ejusdem rei exemplum interpretes invenisse sibi visi sunt in hoc Homerico, *Iliad.* K. reg. 513 et 529. ἵππων ἐπιβήσατο.

(2) In *Comm. ad Joann.* T. X. f. 17. p. m. 187 et 190. T. IV. in *Comm. in Euang. secundum Matth.* T. XVI. p. m. 736-748. T. III.

(3) Edit. l. P. II. p. 223.

(4) Εἰς τὸ κατὰ Ματθ. Εὐαγγ. ὁμ. ξς.

(5) Ille, qui optimas haud paucas conservavit interpretationes, haec tamen ita exposuit: πρῶτον ἐκαπακόσατο τῇ τῶν Ἰουδαίων συναγώγῃ, εἶτα τῷ ἐξ ἐθνῶν λαῷ.



Digitized by Google

mo, (1) Augustino (2) potest comprobari. Erasmus etiam in eâdem versabatur sententiâ, (3) adstipulantibus plurimis aliis, quos enumeravit Gerhardus. Carpzovius autem, in diss. *de asinâ Messiae* § 28. quousque interpretum insania possit ruere, luculento exemplo aliquo docuit, cum narret Petrum Kirstenium eo fuisse delapsum, ut statueret, Jesum simul et asinâ et pullo fuisse vectum. Nos vero, hasce interpretum nugas missas facientes, ipsum pullo vectum esse statuimus, asinâ ad ejus latus ductâ, vel quo alacrius procederet pullus, vel quo solennior pompa esset, quod nonnulli putârunt, Orientalium morem quempiam hâc in re cerni existimantes. Hoc si statuimus, bene concinunt Euangg. narrationes; nec eorum indigemus argutiis, qui miraculum, vel divinae Christi potentiae egregium documentum eâ in re quaesiverunt, quod pullo indomito, freni experti, nec tamen reluctante hic veheretur. (4)

Sed verbulo etiam attingendum est, quod, non Matthaeus quidem aut Marcus, sed Lucas nos docet: ἐπεβίβασαν τὸν Ἰησοῦν. V. ἐπιβιβάζω, *scandere facio*,

(1) Lib. III. *Comm. in Matth.*

(2) Tractatus LI. (Basileensis Ed. Vol. IX. p. 254)

(3) Vid. inprimis *Paraphr. in Matth.* p. 85. Ed. Basil. T. VII.

(4) Hoc etiam fecit Chrysostomus l. l. Σκόπει δὲ τὸ εὐήνιον τοῦ πώλου, πῶς ἀδάμαστος ὢν καὶ χαλινοῦ ἄπειρος, οὐκ ἐσκίρτησεν ἀλλ' εὐτάκτως ἐφέρετο.

ειν, alibi in N. F. bis occurrit, utrâque vice apud Lucam. (Euang. X: 34. Act. XXIII: 24.). Est Hebraeorum חִרְכִּיב atque apud LXX. ſaepius obvium, v. c. 2 Reg. II: 28. Nihil ſimplicius videtur, quam quod discipuli, Jeſu conſilium animadvertentes, ipſum adjuverint aſinum conſcendentem. Quamquam hoc ipſo etiam fortasſe officio praeſtando, eo majorem honorem ei tribuere voluerunt. Nec tamen hoc fecerunt, niſi postquam vestimenta ſua aſino, quo Jeſus uti volebat, vel, ſi hâc de re adhuc incerti haerebant, utrique jumento impoſuerant. Ἱμάτια de vestibus ſuperioribus potest accipi, quae, docente Michaële ad h. l., lintea tantum erant quadratae figurae. Ea aſino injecerunt, quo commodius Dominus jumento veheretur. Sed ita inprimis volebant ex Orientis uſu (1) ſingulare honoris et venerationis, quo ipſum proſequerentur, testimonium edere.

*De discipulorum populique gestibus, Christo honorificis.*

Jeſus aſino, discipulorum vestibus ephippii inſtar ornato, inſidens, ſtatim progrediebatur; quod cum viderent discipuli, Magistrum circumdantes, exuebant pallia ſua iisque viam ſternebant, quâ iter facturus erat. Hujusmodi enim honore collato, in Oriente haud raro tum Reges tum Imperatores, post magnam reportatam victoriam, a civibus ſuis, in obedi-

(1) Vid. Cramer von Baumgarten, l. l.

Digitized by Google

dientiae aut grati animi documentum, excipiebantur. Vid. 2 Reg. IX: 13. (1) Primi hoc fecisse videntur discipuli Christi, proprie dicti; quod haud improbabiliter efficias ex Lucae f. 36. narratione, ubi ὑπεστρώνυον κ. τ. λ. arctissime conjungitur cum proxime praecedente dicto, ἐπεβίβασαν τὸν Ἰησοῦν, quod sine dubio ad illos est referendum. Quidni itaque statuamus, hujus honoris in Christum conferendi exemplum dedisse Apostolos, ac eum hos ipse minime reprimeret, sensim sensimque idem facere incepisse reliquam hominum, qui adessent, multitudinem? — Quidquid sit, idem mox fecit, narrante Mattthaeo, sect. 8. ὁ πλεῖστος ὄχλος, feceruntque, Marco referente, πολλοὶ, quos Joannes f. 17. *multitudinem* dicit, *quae cum ipso erat.* Nimirum continuisse videtur haec multitudo partim eos, qui pridie jam Bethaniam venerant, partim hujus vici incolas, partim festum adeuntes peregrinatores.

Alter quidam ingredientem regem condecorandi mos in eo cernebatur, ut ramos ab arboribus caederent, quibus ipsum salutarent, eosdem ante eum gestantes, vel ne procedentem impedirent, in viam, ad latus conjicientes. Tale quid facere solebant Judaei in Taber-

(1) Mire hâc de re nugatus est Origenes, *Comm. in Matth.* l. l. p. 745. Lightfootus putabat, discipulos ex arboribus suas vestes suspendisse, vel ex iis juxta viam quaedam quasi tentoria confecisse; quam vero opinionem refutavit jam C. Schoetgenius, in *Horis Hebr. et Talm.* ad Matth. XXI. 8.

Digitized by Google

bernaculorum festo; et si vera sit narratio 2 Macc. X: 7. (1) simile quid factum est in festo Renovationis templi. Conferatur quod de Simone Pontifice narratur 1 Macc. XIII: 51. —

Nunc igitur, intrante Christo, publicae laetitiae ejusmodi testimonium edebant ἄλλοι in eâdem turbâ, a Matthaeo et Marco, non item a Luca, memorati, nec confundendi cum iis qui, apud Joannem, f. 13, eadem fecisse dicuntur. Hîc, ubi Matth. κλάδους scripsit, Marcus habet vocem στιβάδας, quae vox, h. l. tantum usurpata, atque ideo variâ ratione a librariis corrupta, proprie *struem* notat, nunc autem *ramos* significat; quod probatur et per Matthaei locum parallelum et per sequens mox τῶν δένδρων. Neque enim vocem δένδρον in ἀγρῶν mutandum esse opinamur. Non ignoro quidem, vulgatae praelatam esse hanc lectionem et a Paulo (*Comm. Hist. Crit.* III. 149.) et a Griesbachio. (*Comm. Crit.* II. 159.) Sed, etsi multum tribuo Codicibus B. L. et Origeni, qui ita legunt, non audeo tamen receptam sollicitare, quam caeterorum fere omnium testium auctoritas tuetur; praesertim cum lectio ἀγρῶν, recte monente Kuinoelio, ex librariorum additamento fluere potuerit.

Nunc ad Joannis narrationem pervenimus, quae hîc inserenda esse videtur. Placuit haec ratio tum aliis, tum praesertim Maknighto, qui postquam Mat-

(1) Hanc narrationem cum anni tempestate, quâ res gesta sit, non recte convenire, putat cl. v. d. Palm, in *vers. libr. Apocr.* nuper ed. ad h. l.

Digitized by Google

Matthaei et Marci sectionem octavam enarraverat, haec addit: „ *Rumore de adventu Domini Hierosolymis* „ *sparso, peregrini palmarum ramos gestantes, in* „ *occursum Messiae egrediuntur.*" Hic profecto Euangg. narrationes componendi modus propterea magnopere laudandus videtur, quod Joannes suam narrationem ab egressis Hierosolymâ incipiat, Synoptici contra ab ipso Domino urbem petente. Quapropter ille prius commemorare debebat eorum facta, qui in occursum Domini iverant, quam turbae, quae eum comitabatur. Accedit, quod a Luca sect. 37. in loco, ubi Hierosolymis egressi cum reliquâ turbâ sese conjungerent, acclamationem nisi incepisse, certe auctam esse, significari videatur. Vestimenta enim in viâ posuisse ac cecidisse ramos a Matthaeo et Marco ii narrantur, qui Jesum comitarentur. Deinceps autem utriusque sect. 9. distincte memorari videntur *οἱ ὄχλοι οἱ προάγοντες*, qui Hierosolymâ egressi erant, *καὶ οἱ ἀκολουθοῦντες*, qui inde a Bethaniâ Jesum secuti fuerant. His de caussis iis assentire non possumus, qui aliâ ratione Euangelistarum narrationes componendas duxerunt. Quod, suâ singuli ratione, fecerunt B. Lamy, (1) Clericus, Gerhardus, Griesbachius alii.

His praemonitis, de loco Joanneo pauca sunt dicenda. Sect. 12. ante vocem *ὄχλος* non cum Cdd. B. et L. inserendus articulus *ὁ*; sed idem, testium auctoritate, probabiliter cum Griesbachio ejici-

(1) In *Commentario in Harmoniam sive Concordiam 4 Euangg.*

Digitized by Google

ciendus est, ante vocem Ἰησοῦν eâdem sect. Illi autem, de quibus sect. 13. dicitur: ἐξῆλθον εἰς ὑπάντησιν αὐτῷ, probe distinguendi sunt ab ὄχλῳ τῷ ὄντι μετ' αὐτοῦ, qui a nostro Euangelista infra memoratur, sect. 17. In dicto τὰ βαΐα τῶν φοινίκων est redundantiae quid, nam βαΐα absolute denotant *ramos palmarum;* quare vox φοινίκων abesse poterat. Sed ipsi etiam Graeci aliquando ita loquuntur. (1) Undenam ramos illos sumpserint; non diserte significatur per vocem indefinitam ἔλαβον. Paraphrastes quidem Nonnus addidit: *Ex horto Hierosolymitano, arboribus multis consito, palmas altos ramos habentes, ramis nudârunt.* Probabilius tamen statuitur, decerptos fuisse hos ramos ex arboribus, quae in convalle circa montem Oliveti, magno inveniebantur numero. Hos autem ramos in laetitiae signum per aërem movebant.

*De discipulorum populique vocibus, Christo honorificis.*

Iter facienti Christo acclamatur: Ὡσαννὰ, εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι Κυρίου, ὁ βασιλεὺς τοῦ Ἰσραήλ. Ita Joannes eâdem, quam jam attigimus,

(1) Vid. Wolff in *Cur. Ph. et Cr.* item Schoetgenius in *Hor. Hebr. et Talm.* ad h. l. Augustinus, Tract. LI. V°. IX. p. 253-257, inter alia haec habet: „ *Rami palmarum* „ *laudes sunt, significantes victoriam, quâ erat Dominus* „ *mortem moriundo superaturus et trophaeo crucis de Diabolo* „ *mortis principe triumphaturus.*"

Digitized by Google

mus, sect. 12. ubi tamen articulus ὁ ante βασιλεὺς probabiliter omittendus est. Hae autem voces primum editae fuisse videntur a turbâ Hierosolymis veniente, quae sponte in hanc erumperet acclamationem, cum eum videret ἐρχόμενον, stipatum magnâ turbâ, quae ipsum condecoraret. Ita statuimus, cum propter narrationis Joanneae ordinem et consecutionem; tum propter ea, quae Lucas dicit sect. 37; tum denique quia Matthaeus et Marcus ibi primum, ubi acclamantium voces memoraturi sunt, distincte de utrâque turbâ mentionem faciunt.

Ducta est ea, quam memoravimus, acclamatio ex Psalmo CXVIII. sect. 25 et 26; quem Psalmum vulgo ad Messiam relatum esse, testis est Hieronymus, qui narrat carmen illud eo tempore frequenter a Judaeis lectum fuisse, et in synagogis decantatum. Rabbinorum etiam, cum veterum tum recentiorum, non pauci illud de Messia acceperunt. Non mirum itaque, turbam Psalmi verba ei, quem Messiam habebat, adventanti acclamâsse. De voce ὡσαννὰ multum est disputatum. Per linguae Hebraicae imperitiam aut aliis de caussis, miras haud paucas ejus interpretationes prodiderunt Patres nonnulli. (1) Haec vox sine du-

(1) Hieronymus (Opp. T. IV. p. 55.) peculiarem inscripsit Epistolam Damaso Pontifici, cujus argumentum ita proditur: *Quoniam vocem Hebraicam, Osanna, Euangelistae reliquerunt et celebres alioqui scriptores ob linguae imperitiam coecutierunt*, Hieronymus, *a* Damaso *Pontifice consultus super hâc re, explicat.* In illâ Epistolâ perstrin-

Digitized by Google

dubio per Graecam inflexionem orta est ex Hebraico הוֹשִׁיעָה נָא, quod ipsum occurrit Psalmi l. l. Proprie est precandi formula, ad Jehovam conversa: *salvum fac*, eum scilicet quem spectet haec vox. Unde mirum non est, (ut hoc in antecessum dicamus) apud Matthaeum proxime huic voci dativum adjungi, ὡσαννὰ τῷ υἱῷ Δαβίδ. Deinde universe est honorifica laudandi ac celebrandi formula, ejusdem fere significationis ac proxime sequens εὐλογημένος. Idem fere est ac si Latine dicas: Io triumphe! vel Graece ἰὴ παιὰν! (vidd. Erasmus, Grotius, Fritzschius). Formula ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι Κυρίου ejusdem est potestatis ac βασιλεὺς τοῦ Ἰσραὴλ, quod explicandi caussâ addunt; illum Regem indicantes, qui prae caeteris eo nomine dignus, a Prophetis erat promissus, ab omnibus exspectabatur et divinâ auctoritate (ἐν ὀνόματι Κυρίου) veniebat. Nimirum ὁ ἐρχόμενος hîc non ad Introitum trahi debet, verum *Messiam* certo *venturum* designat. Ita Joannes Baptista eti-

stringit inprimis opinionem Hilarii, (in *Comm. ad Matthaeum* T. I. p. 406 Ed. Probenianae a°. 1500.) quae fuit etiam Ambrosii, (in *Expositione Euangelii Lucae*, Lib. IX. p. 145. Opp. T. II. Ed. a°. 1516.) *Osanna* interpretantis per: *redemptionem domus David;* dein etiam eorum, qui putârunt, *Osanna* significare *gloriam* vel *gratiam*. Clemens *Alexandrinus* hanc acclamationem jam antea explicuerat per voces: φῶς καὶ αἶνος μεθ' ἱκετηρίας τῷ Κυρίῳ. (*Paedag.* Lib. I. Cap. V. Ed. Commel. a°. 1593 pag. 37.) Vid. etiam de Beaufobre, *Remarques sur le N. T.* Vol. I. p. 65.

Digitized by Google

etiam discipulos, his verbis usus, ad Jesum miserat: Σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος;

Eas, quas Hierosolymis egressa multitudo edebat, acclamationes continuo excepisse, repetiisse ac similibus amplificâsse gratulationibus censenda est turba, quae antea jam Christum comitata erat, donec et haec et illa in unum agmen se aggregarent. Matthaeus et Marcus, ut de his nunc primum videamus, non diserte voces distinguunt, ab utrâque multitudine proditas, τῶν προαγόντων tantum mentionem facientes et τῶν ἀκολουθούντων. Lucas, ne hoc quidem faciens, universe memorat ἅπαν τὸ πλῆθος τῶν μαθητῶν. Verum hic accuratius locum describit, quo processerant; nec reprobanda videtur eorum sententia, qui putant eodem loco coaluisse utrumque, quod Jesum comitari vellet, agmen. Hic enim habet: Ἐγγίζοντος δὲ αὐτοῦ ἤδη (quod in quibusdam Codd. et multis Vers. deest) πρὸς τῇ καταβάσει τοῦ ὄρους τῶν ἐλαιῶν. Quod recte interpretatur Kuinoelius: *Cum jam in eo esset ut e monte Olivarum descenderet.* Vox κατάβασις, quae alibi in N. F. non legitur, proprie est *descensio* vel *actus descendendi*, deinde *locus*, *via*, *quâ descenditur.* Saepius occurrit apud LXX: Ezech. XLVIII: 1. (ubi pro דֶּרֶךְ ponitur) Jos. X: 11. Mich. I: 4. Erant itaque jam Christus et qui eum comitabantur, in eâ montis Oliveti declivitate, ubi Hierosolyma splendidumque Dei templum conspici poterant. Nunc universe Lucas, antequam ipsas voces referat jubilantium, earum indolem exhibet et argumentum. Clamores enim illi, quos es-

effusâ laetitiâ proferebant, erant laudativi, quibus Deum celebrabant, eique pro salute concessâ gratias agebant. Ἤρξαντο αἰνεῖν τὸν Θεὸν φωνῇ μεγάλῃ. Hîc ἤρξαντο redundat, pro quo male ἤρξατο habent Codd. D. et L. Nec rectius deest φωνῇ μεγάλῃ in Cod. D. Variae quidem audiebantur voces, omnes vero laudem Dei ejusque benignitatem celebrabant; quod diversissimis verbis, quorum nonnulla tantum nobis prodiderint Euangelistae, a singulis factum esse probabile est. Quare brevia illa enuntiata in concinnum quempiam ordinem componere non audemus. Deum itaque laudabant περὶ πασῶν ὧν εἶδον δυνάμεων; de cujus formulae grammaticâ ratione teneatur, περὶ δυνάμεων hic dici pro διὰ δυνάμεις, quod Graecis usitatius est, et ὧν εἶδον poni pro ἃ εἶδον; denique vocem δύναμις per metonymiam, eodem modo ac גְּבוּרָה, significare *miraculum*, *ostentum*, quo summa Dei vel Jesu potentia conspicua fiat. Nam hîc ex horum hominum mente, arctissime conjunctum fuisse Dei, qui *Messiam* miserat, atque hujus ipsius, qui augusto hoc nomine tam unice dignum sese praestiterat, laudationem, totus docet contextus. Ea nimirum miracula universe innuuntur, quae coram populo Jesus fecerat, ex quibus nunc praesertim coeci in viâ prope Hierichuntem sanati et Lazarus vitae restitutus populo obversati fuisse videntur. Nam commentarii instar nostro loco Lucaneo sunt, quae Joannes retulit, sect. 17 et 18. *Testificabatur igitur ea, quae illi aderat, turba, ab ipso Lazarum e sepulchro evocatum et e mortuis excitatum esse. Atque hanc*

*eti-*

*etiam ob caussam ei obviam iverat turba, quod hoc eum fecisse audiverat.* Quo loco, sect. 17, pro ὅτι multi testes minus probabiliter legunt ὅτε; sed sect. 18 pro ἤκουσε legendum potius videtur plur. numero, ad nomen collectivum ὄχλος relato, ἤκουσαν, quod magnâ defenditur auctoritate criticâ. Quod reliquum est, eâdem sect. 18, cum Grotio et van Willis l. l. (P. II. p. 91) ὑπήντησεν in plusquamperfectó vertendum est *obviam iverat:* nam retrograda esse videtur narratio. — Hìc igitur si Lucam cum Joanne comparamus, novo cognoscimus documento, quam egregie in ordinis quamvis rerumque diversitate, se invicem confirment Euangelistae.

Videamus nunc de populi vocibus gratulatoriis, quas ex tribus prioribus Euangg. hujusmodi fuisse cognoscimus: Ὡσαννὰ τῷ υἱῷ Δαβίδ· εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος βασιλεὺς ἐν ὀνόματι Κυρίου. — Εὐλογημένη ἡ ἐρχομένη βασιλεία τοῦ πατρὸς ἡμῶν Δαβίδ. — Εἰρήνη ἐν οὐρανῷ καὶ δόξα ἐν ὑψίστοις. — Ὡσαννὰ ἐν τοῖς ὑψίστοις. Ita, in unam quandam summam collecta componere possumus turbae dicta, quorum notitiam prioribus debemus Euangelistis. Sed horum magna pars cum iis vocibus prorsus convenit, quas, referente Joanne, jam spectavimus. Quare brevioribus hîc nobis esse licebit. Vocem ὡσαννὰ cum dativo a Matthaeo construi, mirum non videbitur, si reputamus ipsum verbum יְשַׁע, unde ea fluxit, aliquando cum eodem conjungi casu. — *Davidis filium*, apud eundem, Jesum vocant; non quod ex Davidis gente Bethlehemi eum natum esse scirent, sed

ſed quod eo illum honoris titulo ornare vellent, quo Meſſias vulgo deſignaretur, ex Iſaei ſtirpe venturus. Non tantum Servatori gratulantur, ſicuti apud Joannem, τὸν ἐρχόμενον eum vocantes; ſed apud Lucam etiam idem vocatur βάσιλεὺς, quo explicatur et diſertius declaratur altera illa vox. Neque enim audiendi Codd. D. aliique nonnulli, qui vocabulum βασιλεὺς ejecerunt.

Marcus aliam habet acclamationem: *Felix faustumque ſit, quod adventat, regnum patris noſtri Davidis!* Hinc ejecimus, post vocabulum βασιλεία, verba vulgata ἐν ὀνόματι Κυρίου. Deſiderantur enim in plurimis Codd. item in multis Verſ., conſentiente etiam bis Origene. Haec ex praecedente ſect. hîc perperam denuo inſerta eſſe videntur. Quare ſpuria ea recte habuerunt Lucas Brugenſis in *prolegg.* § 1246. Pfaffius in *Diſſ. de variis lectt. N. T.* p. 189 et 224. Grotius, Griesbachius, alii. Caeterum de univerſâ hâc formulâ teneatur, Judaeos ſaepisſime regnum a Meſſia condendum vocâſſe *regnum Davidis*, quia huic inprimis Meſſias promisſus erat, atque Regni Davidici haeres et inſtaurator hic futurus credebatur.

Interpretanda nobis restat populi vox, apud Lucam: εἰρήνη ἐν οὐρανῷ καὶ δόξα ἐν ὑψίστοις. Cujus, etſi turbante nonnihil hoc illoque teste, certa tamen est lectio, quaeque ex parte ſimilis est dicto, quod Matthaeus et Marcus conſervârunt: ὡσαννὰ ἐν τοῖς ὑψίστοις. Cum formulâ, quae apud Lucam occurrit, conferenda ſunt, quae apud eundem inveniuntur C. II. 14: δόξα ἐν

ὑψι-

Digitized by Google

ὑψίστοις Θεῷ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη· ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία. Ut nostrum locum Lucaneum rite intelligamus, omnino in interpretationis usum adhibendum est egregium illud subsidium Hermeneuticum, quod cernitur in *parallelismo membrorum*. Etenim, sicuti in modo memoratâ Angelorum voce, ita hîc quoque εἰρήνη (coll. Hebr. שָׁלוֹם) et δόξα plane sibi invicem respondent; ac verissime igitur dicit cl. v. d. Palm (ad h. l.) „ *Vocabulum εἰρήνη hîc tantum jubilantium vox habenda est, conveniens cum* Hosannâ *ac* „ *respondens mox sequenti* δόξα." Idem parallelismus conjungit dictiones ἐν οὐρανῷ et ἐν ὑψίστοις. Totius itaque dicti, collatâ breviore apud Matthaeum formulâ, sensus est: „ Jubilationis nostrae laetaeque „ inaugurationis vox in altissimos usque penetret coe- „ los!" (cf. v. d. Palm, ad Matth. XXI: 9.) Haec interpretatio tam simplex est, et tam accurate convenit cum linguae Hebraeo-Graecae usu loquendi, ut non indigeamus longius quaesitis aut conjecturis, aut explicationibus, quarum unam alteramque commemoravit Kuinoelius ad h. l.

*De jubilantium spe Messiaticâ.*

Ut de earum, quas spectavimus, acclamationum constet sententiâ, tenendum est, quâ ratione longe plerique crederent, praestantissimum illum Doctorem, qui tanta peregerat miracula, et quem non modo Prophetam omnibus excellentiorem, verum etiam Messiam habebant, nunc tandem sibi destinatum regnum oc-

Digitized by Google

occupaturum esse, cum diutius civium voto resistere nollet. Messiam enim exspectabant, qui in regio throno patris sui Davidis collocatus, pristinum splendorem Reip. Judaicae redditurus esset ac vindictam repetiturus ab Israëlitarum hostibus, quique dispersos cives, ex omnibus terrae partibus collectos, pacifico esset imperio aggregaturus, cui ipse in aeternum praefuturus foret. Perversae illae opiniones efficiebant, ut Messiam tanquam terrestrem praesertim sibi proponerent Regem, in cujus externum splendorem ac potentiam nunquam non oculos conversos habebant. Increverant magnopere hae opiniones, postquam a Romanis victi eorumque imperio subjecti fuerant et, libertate civili destituti, nil magis desiderare inceperant, quam strenuum belli ducem, victorem et Regem, qui ipsis libertatem recuperaret et Remp. instauraret. Confirmabatur eadem spes male intellectis Prophetarum scriptis, quae maxima bona aeternamque pacem, in regno Messiae exspectandam, ita promiserant, ut imagines a rebus terrestribus ducerent atque ab imperio theocratico, cujus innumera bona, Davide inprimis atque Salomone regnantibus, perceperant. Itaque horum Regum successorem, sed qui potentiâ et splendore eos longe superaret, quam vehementissime desiderabant. Illa opinio non fuit plebis tantum, verum cultiorum etiam Judaeorum, ejusque vestigia reperire possumus in ipsius etiam Zachariae carmine, Luc. I: 68-71. Quamquam hic potiora eaque summa bona, a Messia impertienda, minime negligebat. Verum etsi meliores de Messia no-



Digitized by Google

tiones nondum plane esſent abolitae, longe tamen plerique βασιλείαν τοῦ πατρὸς Δαβὶδ habebant regnum quoddam terrestre, magno ſplendore inſigne. Prudentisſime itaque Baptista et mox ipſe Christus ita ab hoc regno annuntiando docendi initium faciebant, ut ad praejudicatas reſpicientes, quae de eo invaluerant, opiniones, ſimul exſpectationem populi ad meliora, quam terrestria bona ducerent, et ſic ipſas illas falſas notiones puriores redderent. Verum ne in ipſos quidem Apostolos magnam continuo vim habuit haec inſtitutio: nam hi Jeſum quidem Christum esſe, toto animo agnoscebant, verumtamen credebant iidem, Mesſiam in aeternum regnaturum nec unquam moriturum esſe. Quando itaque mortem ſuam praeſignificabat Jeſus, allegorice accepisſe videntur ejus dicta. Unde factum est, ut, ante Domini mortem, ejus de eâdem vaticinia, quamvis clarisſima, non intelligerent, aut alienum iis ſenſum tribuerent. Ex his, quae de ipſis diximus Apostolis, ſequitur turbam certe Jeſum non alio conſilio hoc honore proſecutam esſe, quam ut in ipſum, tanquam futurum terrestrem Regem, honorem conferret, eumque ad regiam capessendam dignitatem impelleret. (1)

§ V.

(1) Quae breviter hic attigimus egregie illustrantur, per ea, quae dixit Muntinghius, *Geſch. der Mensch. naar den Bijb.* T. IV. p. 11 ſqq. Cf. Planck, *Geſchied. van het Christendom, gedurende het tijdvak van deszelfs eerſte invoering*, (edit. Belg.) T. I. p. 57 ſqq. 95 ſqq. et quos citat.

Digitized by Google

## § V.

*Interpretatio narrationum de iniquis Pharisaeorum judiciis Christoque eadem refutante.* (Luc. sect. 39 et 40. Joann. sect. 19. coll. Matth. sect. 15.)

---

### *De Pharisaeorum in Christum odio.*

J. C. nihil unquam fecit, quo justam excitaret Pharisaeorum et Legisperitorum offensionem, nam legis Mosaicae erat tenacissimus (Matth. VII: 4. coll. Marc. I: 44. et Luc. V: 14, XVII: 14.) atque humana tantum instituta, commenta legi addita ac τὴν παράδοσιν (Matth. XV: 3. Marc. VII: 5.) respuebat (Matth. XII: 2. coll. Marc. II: 24. Luc. VI: 1 sq. Matth. XV: 2 sq. Luc. XI: 37, 38. XIII: 14. Joann. V: 1-16. IX: 16.) Verum eo ipso vehemens sibi concitavit procerum Judaeorum odium, qui magis hisce additamentis, quam legi Mosaicae adhaererent (Marc. VII: 3-6) et metuerent, ne ipsorum apud populum diminueret auctoritatem; quorum nempe simulationi Jesus ita non parcebat, ut, veri studio ductus, pessima ipsorum crimina omnium oculis exponeret, eosque ut *coecos coecorum duces* populo monstraret. Nec raro acriter eos reprehendebat, vel ex obliquo (Matth. VI: 2, 5, 16. VII: 1-5. Luc. X: 26-37) vel disertius; ubi monebat discipulos: *Nisi justitiâ Scribis et Pharisaeis excellueritis, non estis in coeleste regnum ingressuri*, (Matth. V: 20) item: *Videatis, ut Pharisaeorum Sadducaeorumque fermentum caveatis.* (Matth. XVI: 6. coll.



Digitized by Google

Marc. VIII: 15.) Vocabat eos *viperinam prolem*, *malignos*, *genus malignum adulterumque*; (Matth. XII: 34, 39) *simulatores*; (Matth. XV: 7. XVI: 3, coll. Luc. XI: 44 et XII: 56) *dementes*; (Luc. XI: 40) *tales*, *qui ex patre Diabolo essent*; (Joann. VIII: 44) qui *coeci* essent, *in peccato manentes*. (Ib. IX: 41) Eosdem affirmabat *Dei amorem in semet ipsis non habere*; (Ib. V: 42) *Dei erga semet ipsos consilium rejicere*; (Luc. VII: 30) *relicto Dei praecepto*, *hominum traditionem tenere*. (Marc. VII: 8. coll. Matth. XV: 6.) Item gravissimorum eos accusabat criminum, *adulterii*; (Joann. VIII: 7.) *rapinarum*, *improbitatis*, caet. (Luc. XI: 42-53.) Quin, decies repetito terribili illo οὐαὶ, eos condemnabat, *qui majorum approbarent facta*, *Prophetas trucidantium* (sect. 47, 48) quique *clavem cognitionis auferrent*. (sect. 52.) Talia universe quam saepissime Jesus iis objiciebat, quae vehementer eos pungerent ac pudore suffunderent. (Matth. XV: 12. Luc. XI: 45. XIII: 17.)

Pharisaei igitur, per has reprehensiones eo magis exacerbati, quo studiosius sibi aliisque persuadere conabantur, hominum sese sanctissimos esse, vehementissimo in ipsum flagrabant odio, quod variis modis, nullâ non datâ occasione, significabant; modo frustra eum πειράζοντες; (Matth. XVI: 1 coll. Marc. VIII: 11. Matth. XIX: 3 coll. Marc. X: 2.) mox ei insidiis struendis; (Marc. III: 2 coll. Luc. VI: 7, Luc. XI: 37 et 38, 53 et 54. XIV: 1) alias consiliis capiendis, ut eum prehenderent aut interimerent; (Matth. XII: 14. Marc. III: 6. Joann. V: 16, 18, VII: 30, 32. X: 39) quod

Digitized by Google

quod ipſe Jeſus iis exprobrat; (Joann. VIII: 37, 40.) vel rumoribus ipſi infestis ſpargendis; (Joann. VIII: 59, X: 31) omnes, qui ipſum Mesſiam profiterentur, e ſynagogâ ejiciendo; (Joann. IX: 22 coll. ſect. 34.) denique iniquis quibusvis et falſisſimis criminationibus ipſum petentes. Jactabant enim: *Hicce* βλασφημεῖ (Matth. IX: 3 coll. Marc. II: 7. Luc. V: 21.) vel: *Hicce non niſi per Beelzebulem, Daemoniorum principem, ejicit Daemonia.* (Matth. XII: 24 coll. 25, Joann. X: 20.) Alio tempore: *Peccatores hic recipit cum iisque veſcitur.* (Luc. XV: 2.) Item: *A Deo non est iste homo, quod ſabbathum non obſervet.* (Joann. IX: 16.) Aliquando etiam ita ipſius discipulos aggrediebantur: *Quare*, inquiunt, *cum portitoribus peccatoribusque vester edit Magister?* (Matth. IX: 11 coll. Marc. II: 16. Luc. V: 30.) Eum dictitabant *hominem voracem, vineſum, portitorum et improborum amicum.* (Matth. XI: 19.) Cum ejus discipulis acriter litigabant. (Marc. IX: 14 et alibi.) Denique, apertius ipſum Magistrum adorti, eum vel irridebant, vel ejus verba in alienum ſenſum detorquebant, dicentes e. g. *Num in Graecorum* διασπορὰν *abibit ac Graecos docebit?* (Joann. VII: 35.) *Num forte ſe ipſe occidet?* (Joann. VIII: 22.) Palam ei objiciebant: *Non verum tuum est testimonium.* (ſect. 13.) Impudenter rogabant: *Ubinam tuus est Pater?* (ſect. 19.) Quin, ipſo praeſente et audiente, dixerunt: *Beelzebulem* aut *Spiritum impurum iste habet.* (Marc. III: 22, 30. Vid. etiam Matth. IX: 34 coll. X: 25, Luc. XI: 15.) Tandem haec teneamus acerbisſima eorum in ipſum dicta: *An non recte*

nos

Digitized by Google

*nos dicimus, Samaritanum te esse et Daemonium habere? — Nunc te Daemonium habere intelligimus.* (Joann. VIII: 48, 52.)

*De loco Joannis XII: 19.*

His congestis viam nobis stravimus, ad recte judicandam eam, quam nunc denuo demonstrabant iidem adversus Christum malignitatem. Ubi eodem fere redit, utrum a Joannis, an vero a Lucae narratione initium ducamus. Difficulter enim definiri potest, utrum tempore prius fuerit: deliberationesne, quas secum invicem habebant, an adhortatio, quâ Jesum in viâ adibant. Itaque cum a Joanne incipiamus, non temere affirmamus, illos Pharisaeos, de quibus apud hunc sermo est, priores in scenam prodiisse. Verumtamen non improbabile videtur, plures Synedros, concursu populi et adventantis Messiae famâ excitatos, primum cum collegis suis hâc de re conquestos esse, mox vero eosdem, vel alios, qui a collegis fuerint arcessiti, tandem Magistrum adiisse, ut, cum ipsi populum retinere non possent, subdole ipsius elicerent intercessionem.

Audito igitur plebis rumore, nonnulli Pharisaeorum, quorum plerique fuisse videntur huic sectae addicti Synedri (Joann. XI: 46, XII: 10) urbe egrediuntur et, ubi e longinquo magnam conspiciunt populi turbam, laetis acclamationibus et solenni pompâ, per montis Oliveti declivitatem, urbi appropinquantem, vehementer consternantur. Doctoris enim, quem tanto

Digitized by Google

to odio habebant, videbant in dies augescere, suam vero magis magisque diminui, existimationem. Ad desperationem itaque fere redacti, his verbis se invicem (1) compellant: *Videtisne*, inquiunt, *vos nihil proficere? Ecce! eum sequitur orbis!* Ita alter alterum tarditatis fere et ignaviae accusat; atque mutuo ad capienda consilia efficaciora se adhortantur. Nullius fere auctoritatis ducendae sunt lectiones, quae habent vel ὠφελεῖται vel ὠφελεῖ vel ὠφελοῦμεν, quae, judice Kuinoelio, Grammaticorum ingeniis suam debent originem. Quare cl. Palmius, lectionem, ultimo loco memoratam, in interpretatione exprimens, liberius vertisse censendus est. Pharisaei, qui hîc memorantur, tales erant, qui iracundiâ, dolore, odio et metu ducti, haec enuntiarent; minime vero, quod voluit Chrysostomus, tales qui, clam Jesu partibus faventes, et de populo ipsi applaudente laetantes, socios suos a novis contra cum consiliis capiendis deterrere vellent, quae nimirum prorsus vana et irrita futura essent; quare itaque consilium dederint, Gamalielis voci (Act. V: 38, 39) haud absimile. Enimvero si haec eorum mens fuisset, sine dubio Joannes, ut alibi fecit, meliorem hanc eorum indolem ac consilium verbulo certe significaturus fuisset. Nec in ipsis verbis quidquam inest, quod huic interpretationi faveat. Contra vero ea verba ab iis profecta esse mihi videntur, qui in Synedrio Jesum in-

(1) Notum est pronomen reciprocum ἑαυτοῦ non raro significare *invicem*, *inter se*. Vidd. quos citavit Winerus *Grammatik des Neutestam. Sprachidioms.* (ed. 2ª.) p. 65.

Digitized by Google

interimendum esse acerrime contenderent. Eosdem h. l. loquentes audimus, qui collegas suos, minus adhuc malitiâ obstinatos, magis magisque contra Christum exacerbare vellent iisque, ultimo supplicio eum afficiendum esse persuadere, cum decretis suis, contra ipsum latis, nihil quidquam profecissent. Et revera populus, Jesum publice Messiam proclamans, illudebat gravissimis Synedrii decretis, (Joann. X: 22, XI: 49, 53) ante paucos dies editis, illi inprimis, quo unusquisque jussus erat locum secessionis Domini, si forte cognitum eum haberet, Senatui indicare. Jure itaque affirmare poterant collegis: οὐδὲν ὠφελεῖτε. Indignationis hanc caussam addunt, ex iis ductam, quae hoc ipso videbant temporis puncto: ἴδε ὁ κόσμος κ. τ. λ. Post ἴδε vocem ὅλος textui inculcant plurimi testes, inter quos ipsi etiam Codd. D. et L. Verum glossema hoc esse, loci quidem sententiam recte enuntians, nec tamen Joanni obtrudendum, ex ipsâ lectionis ratione satis patet. Κόσμος per metonymiam saepe sumitur pro τοῖς ἐν τῷ κόσμῳ, *incolis* mundi; de magnâ parte et de multitudine hominum quâcunque praesertim apud Joannem dicitur. (Cf. Cap. VII: 4. XIV: 22. XVIII: 23.) Nec tamen simpliciter h. l. vertendum: *turba eum sequitur*; quâ interpretatione dicti vis enervatur. Quod Grotius affirmat, Hebraeos saepius per vocem עולם vim ingentem hominum significare, hoc ad Rabbinismos pertinere videtur. (1) Rejicienda etiam est Altingii sententia, qui ad

(1) Vid. Georg. Christ. Knappius: *Vorlesungen über die Christliche Glaubenslehre*, T. I. p. 264.

Digitized by Google

ad sect. 20 provocans, *mundum* de *gentibus* interpretatur. Conf. Wolff. (*Cur. Phil. et Crit.* ad h. l.) Ut dictum recte intelligamus, animadvertendum est, hanc esse vehementiorum quarumvis mentis commotionum, indignationis potissimum ac metûs, indolem, ut in *hyperbolicam* dicendi rationem sequendam, homines adducat, qui per eas ferri se patiuntur. Nec mirum igitur Pharisaeos, et iratos et hujus pompae sequelas vehementer reformidantes, ita rem, quae ipsis displiceret, verbis augere et amplificare, ut exclament: *Totus orbis terrarum, quidquid hominum est, istum sequitur ducem!* Haec, si quid video, unice vera est eaque simplicissima loci interpretatio. — Denique formula ἀπέρχεσθαι ὀπίσω τινος Hebraizans est. (Cf. Exod. XXIII: 2. 2 Sam. XVII: 9.) Universe quidem ea notat *doctorem quempiam amplecti;* nec tamen primaria notio aliquem *sequendi* huc male convenit, cum id inprimis Pharisaeos offenderet, quod turba ipsos desereret, ut doctori sese applicaret, quem ipsi repudiabant. Fortasse inde ducta est ratio dicendi quod doctores Judaici, item Jesus, non raro discipulos, cum iis iter facientes, docerent.

### *De loco Lucae XIX*: 39, 40.

Non constat, utrum ii, quos Joannes memorabat, Pharisaei iidem fuerint, quorum hic mentionem facit Lucas. Certe hoc docente Euangelista, Jesum in itinere allocuti sunt *quidam Pharisaeorum e turbâ;* quod minime potest significare hos non fuisse ex Syn-

e-

Digitized by Google

edrorum numero. Turbae se immiscuerant iidem, atque ex eâ nunc prodeuntes Christum compellant. Jesu autem responsum docet, monitores illos non fuisse ipsius amicos, clam ei addictos, qui suâ admonitione revera Magistro bene consulere vellent, aut serio seditionem extimescerent, quae ex populi forte concursu exsistere posset. Putamus potius, hîc etiam eos intelligendos esse Pharisaeos, qui uti saepius solebant, (Matth. IX: 11 34. XII: 23.) insidiandi Christo caussâ, multitudini se aggregâssent, quo melius ipsius dicta factaque captare atque inde calumniandi occasionem quaerere possent. Itaque blande Dominum alloquuntur, velut ipsius incolumitati prospicere cupientes, atque huic ex eâ, quae nunc audiretur, populi acclamatione periculum timentes. Fortasse, fictam prae se ferentes amicitiam, clanculum eum adeunt. Certe non altâ voce e medio populo admonitionem suam cum eo communicâsse videntur. Διδάσκαλε! inquiunt, voce usi, ad familiaritatem ac fiduciam cum veneratione conjunctam demonstrandam, callide compositâ: *Coërce sectatores tuos;* nempe a clamoribus istis edendis, atque effusâ laetitiâ prodendâ. Vox μαθηταὶ hîc denuo dicitur de universo spectatorum grege, eum comitante. Pricaeus loci sensum ita per periphrasin expressit: *Ne patere, aures tuos titillari hujusmodi elogiis et acclamationibus.*

Ipse vero malignum monitorum consilium penitus perspexit. Sciebat eosdem hos esse, qui se Regem agnoscere nollent, (Luc. XIX: 27), quique mox gloriaturi essent: *Non habemus Regem nisi Caesarem!*

Hâc

Hâc de causâ responsum, quod Jesus hisce Pharisaeis dedit, acerrimam continet reprehensionem eorum hominum, qui ne verum viderent, veluti oculos claudebant. Sed eodem etiam responso laudabat discipulos ac palam affirmabat eos, cum ipsum Messiam salutarent, rem praedicare, quae diutius occultari non posset. Itaque reprehensoribus illis et universe coetui, qui verba, clarâ voce pronuntiata, audire poterat, magnâ cum gravitate, haec dicit: Λέγω ὑμῖν, ὅτι ἐὰν οὗτοι σιωπήσωσιν, οἱ λίθοι κεκράξονται. *Dico vobis, si hi taceant, lapides clamaturos esse.* In his est quidem lectionis aliqua varietas, sed quae nihil continet, quod incertam reddat vulgatam. Quare ut de eâ moneamus opus non est. Λέγω ὑμῖν hic est firmiter affirmantis; quâ ratione in initio Christi dictorum saepius occurrit; eodem fere modo quo alibi dicitur ἀμὴν λέγω ὑμῖν. Hyperbolicae autem ac proverbialis hujus locutionis sensus est, nullo modo fieri posse ut hominum voces reprimantur verum, quod diu latuerat, profitentium, cum Jesum Messiam agnoscant: haec res tam certa erat atque evidens habenda, ut et lapides muti, quae res habentur omnium ἀφωνότατα, hujus veluti professionis vocem emissuri essent, si vel hominibus silentium posset imponi. Item a lapidibus imaginem duxerat Joannes Baptista Matth. III: 9. Sed similis inprimis formula occurrit apud Hagg. II: 11. *Nam lapis e muro clamat et trabs e ligno respondebit ei*; quorum verborum sensum ita declaravit Hieronymus: *In tantâ crudelitate bacchatus es* (Rex Chaldaeorum!) *ut,*

Digitized by Google

*ut, si dici potest, lapides civitatis et ligna parietum, quos subvertisti, tuam ferociam clamitent.* (1)

Quoniam suâ se simplicitate unice commendare videtur ea, quam dedimus, hujus loci interpretatio, de aliorum sententiis verbulo monuisse sufficiat. Multi ita intelligendum putant dictum: *Si Judaei tacuerint, multitudo me gentium profitebitur.* Ita cum aliis Zegerus, qui scribit lapidum nomine gentes designari, quod lapides et signa pro Diis colerent. Alii dictum, *lapides clamabunt*, quodammodo cum sequente apud Lucam oraculo conjunguunt, cujus nimirum ansam forte dederit haecce vox. Itaque hic jam invenire sibi videntur Hierosolymorum destructionis vaticinium, hunc in modum: „ Lapides urbis et templi disjecti non loquentur, sed clamabunt adeo, Messiam jam advenisse ne-

(1) Haud ingratum lectoribus me facturum esse confido, si hic iis Ruhnkenii animadversionem *manuscriptam* impertiero. Ita igitur vir summus ad dictum οἱ λίθοι κεκράξονται: „ *Proverbiale*, inquit, *loquendi genus est, quod tum usurpatur, cum res ejusmodi est, ut nullâ ratione celari aut occulta manere possit. Apud* Philonem Judaeum, T. II. p. 460. *Calanus Alexandro dicit, se non magis animam ad id, quod nollet, faciendum cogere posse,* ἢ πλίνθους καὶ ξύλα φωνὴν ἀφιέναι. *Maxime adpositus est locus* Juvenalis Sat. IX. v. 102. Servi ut taceant, jumenta loquentur et canes et postes et marmora. Vid. Virgilius Ecl. V. v. 28. *ibique* Servius. Κεκράξονται *significatione activâ Atticis etiam tritum est. Vid.* Aristophanes *in* Equitibus, vs. 285." — Hactenus Ruhnkenius. Caeterum conferantur etiam Erasmi *Adagia*, Chil. V. Cent. II. 17. T. II. p. 1065.

Digitized by Google

neque porro exſpectandum esſe." (Ita Schoetgenius in *Hor. Hebr. et Talm.*) Quod alii olim latius etiam extendebant; in his Fesſelius a Wolffio citatus; qui dicit, Christi hoc oraculum paullo post triplici ratione impletum esſe; primum quando post ejus mortem, discipulis prae timore tacentibus, petrae ſcisſae ſunt; deinde cum gentes, quae cum ſaxis conferuntur (1 Petr. II: 5.) converſae fuerunt; tandem Hieroſolymae excidio.

*De loco Matthaei XXI: 15 et 16.*

Propter argumenti ſimilitudinem, cum modo tractatis locis conferenda est haec Matthaei narratio, de pueris, in templo Mesſiae *Hoſanna!* acclamantibus. Rem nobis retulit Euangelista, postquam templi purgationem memoraverat; ac probabiliter certe ad ejusdem diei historiam ea referenda est. Non diſerte quidem hîc Phariſaei memorantur, verum *οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ γραμματεῖς*. Nec dubitandum tamen, quin horum nonnulli certe Phariſaicae ſectae addicti fuerint. Hi igitur irati jam per miracula, quae Christus fecisſet, audiunt nunc *τοὺς παῖδας κράζοντας ἐν τῷ ἱερῷ καὶ λέγοντας· Ὡσαννὰ τῷ υἱῷ Δαβίδ!* Videntur hi voces repetiisſe Christo honorificas, quas ex parentibus audierant. Neque enim parvuli puelli intelligendi ſunt, ſed pueri potius, duodecim et quod excurrit annos nati: nam qui minore aetate erant, eos in templum admisſos esse probabile non est. Nec abſurdam moramur ſententiam, quam prodidit Le-

Moy-

Moyne (in *Notis ad varia Sacra* p. 722.) qui non *pueros* proprie dictos, ſed *Apostolos* intelligit, ignorantiâ et ſimplicitate infantum ſimiles. Si conjecturam periclitari licet; erant hi pueri obtrectatorum Domini, hîc memoratorum, discipuli, qui ab illis in templi conclavi aliquo inſtituebantur. Quod ſi ponimus, liquido apparet, quam vehementer pungerentur Chriſti inimici, cum hos etiam ſuae disciplinae alumnos, quos mature Nazareni odio imbuere conarentur, illi ipſi honorificum *Hoſanna!* acclamare audirent. Quidquid ſit, hanc rem aegerrime ferentes Pontifices ac Scribae, Christo *audisne tu*, inquiunt, *quid hi dicant?* Cujus dicti ſenſus est: „ Quidni tu hos reprimis ac reprehendis, qui honorem tibi tribuunt, nequaquam tibi debitum?" Ad hanc quaestionem faciendam non indignatio tantum eos adducebat, ſed multo etiam magis reſponſi ex Christo eliciendi deſiderium malignum, quod novam criminationibus materiam ſuppeditaret. Sapientisſime igitur ſic Jeſus reſpondit, ut approbare quidem puerorum ſeſe factum ſignificaret, nec tamen diſerte ſe Mesſiam profiteretur. Ναὶ, graviter reſpondet; et rem ſe percipere et rei conſilium probe ſe perſpectum habere, demonſtrans. Continuo autem ex iis quaerit: Οὐδέποτε ἀνέγνωτε, ὅτι ἐκ στόματος νηπίων καὶ θηλαζόντων κατηρτίσω αἶνον; Verba ἐκ στόματος νηπίων κ. τ. λ. ipſisſima ea ſunt, quae, Deum celebrans, cecinerat Poëta Pſalmo VIII. ſect. 2. ubi prorſus eodem modo, quo hîc, vertuntur ab interpp. Alexandrinis. Recte itaque et ex Graecitatis ratione huic dicto ὅτι praemittitur, verſi-

Digitized by Google

ſione non exprimendum, ſed citationis, quae ſequitur, indicium. Christus autem nunc etiam ex conſuetudine ſuâ egit, quâ ſacrorum V. T. Scriptorum auctoritate et alias uti ſolebat, et cum contra adverſarios diceret. (1) Neque magnam difficultatem habet locus. Nam quae in Pſalmo invenitur comparatio laudis ac gloriae, quam quis ſibi paret, cum aedificio, quod ſibi exſtruat, haec Hebraeis est uſitatisſima. (2) Christus autem, cum haec verba ad ſuum conſilium prudentisſime adhibet, non id ſibi vult, ut ad Messiam Pſalmum referendum esſe ſignificet. Nam, recte monente Muntinghio, (3) nihil aliud per hanc citationem ſpectavit Soſpitator, quam ut demonſtraret, ex divinorum etiam Scriptorum testimonio, a parvulis quoque Deum celebrari posſe, neque igitur mirum proceribus videri oportere, quod a pueris nunc *Christus* laudaretur, neque hanc ipſe laudem reſpueret. Atque his dictis, cum indignatione eos Christus reliquit, diutius cum iis verba facere nolens.

Itaque ſemel atque iterum Phariſaeorum admonitiones acriter redarguit Christus; ſimul vero discipulorum et puerorum agendi rationem ab eorum criminationibus vindicavit. Atque hâc eorum, quae illi dixerant fecerantque, approbatione ſibi perſuaſum esſe non

(1) Cff. Brink, *over de Leer en Leerwijze van J. C.* p. 297. et doct. de Jongh, in *diſſ. de J. C. patiente, ex vero ab Euangg. informato*, p. 108.

(2) Vid. Roſenmullerus in *Schol.* ad h. l.

(3) In animadverſione ad Pſalmi VIII. h. l.

Digitized by Google

non ambigue significat, se revera promissum esse Davidis filium venturumque Regem, quem recte illi salutaverint. Quod, si minus simpliciter scripsissent Euangelistae, aut narrationes suas adornare voluissent, ita lectoribus suis, veluti digito intento, demonstraturi fuissent, ut hinc pro summâ Magistri dignitate probandâ, argumentum ducerent. Verum hoc minime agunt nostri Historici, qui res gestas, sine ullo fuco, narrantes, earum judicium aliis permittunt ac relinquunt.

## § VI.

*Dictorum Christi, in solenni itinere Hierosolymae, sortem deflentis ejusque excidium vaticinantis, interpretatio.* (Luc. Cap. XIX. sect. 41-44.)

In praecedentibus Regem contemplati sumus, populi applausu ornatum, nunc magnum Prophetam admirabimur, gentis suae sortem deplorantem.

### *De ipso Lucae loco.*

Jesus, cum ex monte Oliveti descendens, propius metropoli appropinquaret, et nunc totam fere regiam urbem conspiceret, longe lateque patentem, magnificis palatiis ac celeberrimo inprimis templo insignem et, ab illo praesertim latere accedentibus, magnificentissimum offerentem spectaculum; miserrimam ejus sortem

Digitized by Google

tem deflebat. Dicit enim Lucas: Καὶ ὡς ἤγγισεν, ἰδὼν τὴν πόλιν (i. e. videns, quâ late patebat, urbem, quam quodammodo jam conspicere potuerat, cum esset, ex sect. 37, πρὸς τῇ καταβάσει τοῦ ὄρους) ἔκλαυσεν ἐπ' αὐτῇ. Quod prorsus idem est, ac si dixisset ἔκλαυσεν αὐτήν. Additur vero, ad morem intpp. V. T. Alexandrinorum, praepositio ἐπὶ, quae post hoc verbum non tantum cum dativo, sed etiam cum accusativo construitur. Conferatur Luc. XXIII: 28. (1) Pervenerat Jesus ad eundem fere locum, ubi Romanos, Hierosolymam oppugnaturos, castra sua primum posuisse Josephus refert. (2) Atque nunc jam id, quod ἐκρύβη ἀπὸ ὀφθαλμῶν τῶν Ἰουδάιων, mentis oculis conspiciebat. Videbat hostium copias, sanctissima illa moenia ab omni parte obsidione cingentes, et vero templum flammis absumptum civesque violentissimâ morte pereuntes. Haec omnia tam distincte contemplabatur, ac si tristissimo spectaculo praesens adfuisset. — Quando nobis hominibus contingit, post tempus quoddam elapsum, denuo loca videre, ubi antea saepissime degere consuevimus, vel ubi

(1) Quoniam ibi nostrum verbum ter cum praep. ἐπὶ, sequente *accusativo*, invenitur, hoc quoque, quem tractamus, loco ἐπ' αὐτῇ legendum esse putat cl. Schulzius, operis Griesbachiani editor. Nec nego magnum hanc lectionem praesidium habere in optimorum testium auctoritate. Verum ipse ille locus notissimus, librariorum menti obversans, ansam dare potuit, ut hic male obliteraretur vulgata lectio ἐπ' αὐτῇ.

(2) *De Bello Judaico*, Lib. V. Cap. II. 3.



Digitized by Google

ubi olim maximis quibusdam eventibus, sive laetis sive tristibus, interfuimus; tum praeteritarum rerum recordatio sponte mentes nostras subit, eaeque vividis coloribus, quasi in tabulâ quâpiam depictae, oculis nostris subjici videntur; et animus noster eâdem vel laetitiâ vel tristitiâ afficitur, quam olim, cum iisdem illis essemus locis, persensit. Quod itaque nobis, quamquam minus perfecte, in rerum praeteritarum recordatione usu venit, id Christo, perfectissimo modo, in rerum non minus futurarum, quam quae antea fuerant, contemplatione, proprium fuisse videtur. Nec ita tamen hoc dicimus, ut modum definiamus, quo Jesu mens omnia perfectissimâ scientiâ complecteretur, aut ut minus clare eum sibi proposuisse futura, quando theatro, ubi illa eventura erant, praesens non adesset, existimemus. Absit haecce arrogantia! voluimus tantum, comparatione a rebus humanis ductâ, aliquam, quamvis mancam et inchoatam, nobis imaginem informare rationis, quâ nunc potissimum divinae Christi menti Hierosolymae excidium obversaretur. Nimirum locus, ubi erat Dominus, adspectus Davidicae urbis, rumor immensae populi turbae et Paschale, quod instabat, festum ea Jesu menti offerebant quam distinctissime, quae olim, item Paschatis festo, huic ipsi, quam videbat, urbi eventura erant; plane sicuti homines, loca quaedam adspicientes, per similes rerum περιςάσεις in earumdem, quae ibi ipsorum mentibus fuerunt, cogitationum renovationem feruntur. Ita etiam Jesus, cum vaticinium illud celeberrimum ederet, quod Matthaei Cap. XXIV. locisque

que parallelis legimus, in eodem Oliveti monte sedebat, atque horrendae, quae aliquando futura erat, vastationis theatrum oculis perlustrabat.

Dicta jam satis docent, caussam quare lamentaretur Christus, extremam istam potissimum fuisse calamitatem, quae et universam ipsius patriam maneret, et ejus prae caeteris metropolin, nam ἔκλαυσεν ἐπ' αὐτῇ (πόλει). Denuo Pharisaei suum contra ipsum odium demonstraverant; nec dubitare poterat, quin infestissimi hi homines ad Messiam repudiandum populum essent commoturi, atque hâc ratione excidium ipsi paraturi. Quae res lacrymas ex ejus oculis excutiebat: gentem enim suam impense amabat et maximâ complectebatur benevolentiâ. „ *Quoties*," ita non diu post Hierosolymam alloquebatur, „ *Quoties cives tuos colligere volui, sicuti gallina pullos suos sub alis colligere solet, sed vos noluistis!* (Matth. XXIII: 38.) Minime de suâ ipsius sorte sollicitus erat. Ille enim, qui nunc flebat, victoris instar et Regis honorifice urbem ingrediens, nequaquam lamentatus est, cum, paucos post dies, eâdem, crucem trahens, educeretur. Quin foeminas, ipsius fatum lugentes, adhortatus est, ut non tam ipsius deflerent, quam suam potius liberorumque suorum sortem. (Luc. XXIII: 28.) Magni profecto animi documentum nobis praebent illae lacrymae, Jesu minime indignae; quales olim videbantur temerariis illis correctoribus, qui dictum ἔκλαυσεν ἐπ' αὐτῇ ejiciendum esse opinabantur. (1) Flevisse Xer-

(1) Testatur Epiphanius, ea vocabula in exemplaribus

Xerxes dicitur, cum immensum exercitum suum oculis lustrâsset; Alexander devicti Darii sorti, et Marcellus deletis Syracusis illacrymâsse feruntur. Verum, quidquid de his statuatur, longe majore, quin prorsus singulari, admiratione prae caeteris omnibus dignus est habendus Christus ille, qui, suae veluti sortis oblitus, divino unice ductus amore, acerbissimorum suorum hostium sortem deploraret. Non est, quod de Christi lacrymis plura addamus. Eum apud Lazari etiam sepulchrum flevisse, notum est (Joann. XI: 35.) eundemque plorâsse probabile est in villâ Gethsemaniticâ. (Cf. Hebr. V: 7.) Saepius non legitur flevisse Dominus, nec sane ille, qui aequabili indole conspicuus esset, nec immodicis animi affectibus indulgeret, crebro lacrymas fudisse videtur. (1)

Nunc ad ipsum accedamus vaticinium. Ex imo pectore querulam hanc vocem emittit Jesus, quae vehementem animi dolorem prodit: *Ἐι ἔγνως καὶ σὺ, καὶ γε ἐν τῇ ἡμέρᾳ σου ταύτῃ, τὰ πρὸς εἰρήνην σου. Utinam tu etiam, hoc certe die tuo, agnoscas, quae paci tuae conducere possint!* Particula *ὅτι*, prout saepe-

bus publice receptis non fuisse, verum addidit: *Ἀλλὰ καὶ Ἔκλαυσε κεῖται ἐν τῷ κατὰ Λουκᾶν εὐαγγελίῳ ἐν τοῖς ἀδιορθώτοις ἀντιγράφοις.*

(1) Antiquitus disputârunt utrum septies, an quater flevisse dicendus sit Christus. Quas nugas qui cognoscere velit, disputationem adeat M. Joh. Christ. Artst *de Lacrymis Christi, ad Luc.* XIX: 41. quae invenitur in *Thesauro Theol. Phil. N. T.* p. 330-335.

Digitized by Google

ſæpius, hîc etiam redundat, atque orationis, quae mox refertur, directae praenuntia est. Erasmus eam affirmandi gratiâ appoſitam dixit. Schleusnerus duas voculas arctius junctas ὅτι εἰ vertit *utinam*. Easdem conjungens Bretſchneiderus, interpretatur *ſi enim*, *quodſi*. Grotius, ὅτι ad ἔκλαυσεν referens, putat illud rurſum esſe αἰτιολόγικον τοῦ σιώπωμένου, cum a Christo fletûs rationem reddi ostendat.

Verba, εἰ ἔγνως καὶ σὺ, interpretibus multum negotii facesſiverunt, cum alii εἰ, ex vulgari ſignificatu, verterent *ſi*, ac nunc periodi apodoſin ſibi fingerent, quisque pro ſuâ opinione; alii contra idem εἰ optative interpretarentur *utinam!* In priore ſententiâ plurimos interpretes verſari video. Hieronymus habet: *ſi ſcires etiam tu, quae ad pacem ſunt tibi — quaereres.* Itaque ſubauditur, quod in uno Cod. legitur, ἠρώτησας ἄν. Cyrillus vertit *ſi cognoviſſes*; quod vero hic non refert ad mala imminentia, ſed ad intelligentiam Prophetarum, qui de adventu Christi vaticinati esſent. Erasmus, ad exemplum Hieronymi, explicat: *ſi cognoviſſes et tu — curares*; alii, quos ipſe citat: *ſi noviſſes imminentia tibi mala, fleres et tu*; Zegerus: *flevit ſuper eam dicens: et tu etiam in hoc die tuo fleres, ſi quidem cognosceres.* Pricaeus interpretatur: *ſi cognosceres — non tam ſecure dormires in peccato*; Castalio: *O te felicem, ſi me nunc, qui tibi ſalutem affero, agnosceres*; denique Kuinoelius: *ſi cognoviſſes — praeclare tecum ageretur*; quam apodoſeos ſupplendae

dae rationem acriter increpat Fritzschius (in *Collectaneis in N. T.* Spec. I. p. 27.) qui aliam substituit: *si tu perspicere voluisses — non illa ingentia paterere mala*; pro suâ sententiâ Theophylacti interpretationem laudans.

Nobis *εἰ* potius optative vertendum videtur *utinam*; quae ratio egregie convenit cum graviore, quâ Dominus loquebatur, animi commotione, efficitque ut sine sumptâ ellipsi omnia bene cohaereant. Calvinus, Grotius, Michaëlis, Suringar, (1) Jahnius, (2) Palmius, Bretschneiderus (in voce *εἰ* n°. 5.) hanc tuiti sunt sententiam. (3).

Nec

(1) In diss. *Betoog van de waarh. en Goddelijkh. der Evangelieleer, uit de behoorlijk gestaafde lotgevallen der Joodsche natie, na den dood en de verheerlijking van onzen Heer J. C.* in *Opp. Soc. Hag.* ad a. 1809, p. 293.

(2) *Erklärung der Weissagungen Jesu von der Zerstörung der Stadt Jerusalem, des Tempels und des Jüdischen Staates*; quae invenitur in opere: *Archiv für die Theologie und ihre neueste Litteratur, herausgegeben von Dr.* Bengel, II. *Band.* 1 *St.* p. 79-145. inprimis p. 104. 2 *St.* p. 365-393.

(3) Cum alii *εἰ* vertant *utinam*, alii, *si* vertentes, apodosin supplendam in hâc periodo putent, utramque rationem conjungere conatus est Wahlius in *Clave N. T. Philol.* i. v. Num 3. Locum enim explicat: *Si hoc certe die tuo intelligeres, quae ad salutem tuam facerent (quam bene tecum ageretur)* i. e. *utinam intelligeres, quae ad salutem etc.* Haec profecto ratio minime probari potest: nam nihil est studiosius interpreti vitandum, quam *duplicis sen-*

*sus*

Digitized by Google

Nec vetat linguae Graecae indoles, quominus *εἰ* per *utinam* vertatur. Sequente enim optativo apud Poëtas frequentia sunt hujus usûs exempla. (1) Concedendum quidem est Kuinoëlio, Fritzschio aliisque, ex Graecis scriptoribus classicis nulla proferri posse exempla, ubi conjunctio *εἰ*, sequente indicativo, *utinam* significet. Verum hic usus non abjudicandus est dialecto Hellenisticae, quâ utuntur S. Scriptores, cum propter Luc. XXII: 42. tum propter Hebraeorum loquendi rationem, apud quos אם *si*, saepius voculae לו vel לוא *utinam* respondet; praesertim cum LXX. etiam hoc per *εἰ* cum indicativo vertere haud dubitârint v. c. Exod. XXXII: 32. ubi *εἰ μεν ἀφεῖς* certissime reddi debet: *utinam condonares!* Conf. inprimis Josuae Cap. VII: s. 7. et alia quaedam, quae a Grotio ex Alexandrinis afferuntur ad Luc. XII: 49, ubi Syrum etiam secum facere monet.

Sequitur *καὶ σὺ*, quod Grotius explicat: *vel tu*, urbs illa, supra omnes terrae urbes Deo dilecta; Kuinoelius: *praecipue tu*, utpote metropolis, civi-

*sûs* commentum. Nec velim tamen tam acriter in virum caeteroquin meritissimum invectus esset Fritzschius, quam fecit, in *Collect.* l. l. Sed de hujus inhumanitate conquestus etiam est cl. Schulz in diario: *Allgem.* (*Hall.*) *Literat. Zeit.* ad m. Aug. a. 1828. p. 727 sqq.

(1) Cff. Vigerus *de Idiot. Ling. Gr.* p. 503. ed. Hermanni; August Matthiae *Ausführliche Griechische Grammatik*, Leipz. 1807 p. 719. Valckenarius ad Euripidis *Phoenis.* vs. 761.

Digitized by Google

vitas hujus regionis primaria. Quem denuo reprehendens, Fritzschius locum explicat: *si ut pauci quidem alii, ita tu quoque cognovisses.* Aliquando etiam καὶ in formulis optandi, qualem hic adesse demonstrare conati sumus, respondet Latinorum *modo*, *tantummodo!* Ex hâc ratione vertendum sit: *utinam tu tantummodo!* Ita Bretschneiderus (in voce, II. 2.) Verumtamen praestat fortasse, ut statuamus Christum hic Hierosolymae pertinaciam cogitâsse, oppositam illam multorum, quae nunc ipsi demonstrabatur, fidei. Itaque possimus locum περιφράζειν: „Utinam non hi tantum omnes, sed tu etiam ipsa cognoscas, quae paci tuae conducant!" Ita certe elucescit, quae emphasis sit in dicto: καὶ σύ.

Sequitur καί γε ἐν τῇ ἡμέρᾳ σου ταύτῃ. Et in praecedenti καὶ σὺ, et in hoc potissimum dicto, plurima turbant librarii. Si praestantissimorum tantum testium auctoritatem spectas, facile in hanc partem inclines, ut, post dictum ἐν τῇ ἡμέρᾳ, expungas pronomen σου, quod Griesbachius incertum declaravit in *Edit. N. T.*, incertius etiam in *Synopsi.* Verum magnum huic voculae praesidium quaeri potest in haud exiguâ probabilitate, quâ suspicari possumus, ternam ejusdem σου, in eâdem hâc sectione, repetitionem librariis aut fucum fecisse aut displicuisse. Quare adhuc ter positum σου non certissime quidem, sed valde probabiliter tamen, conservandum putamus. — Sed de dicti sententiâ videamus. Conjunctionis καὶ iteratio minime abundat: καί γε enim hic sensum intendit; significans *certe*, *profecto*, et ad ἡμέραν refe-

ferendum est. — Ἡμέρα σου universe posit indicare opportunum tempus, quo Hierosolyma Messiam suum videret eumque accipere posset. (1) Facit vero praemissum καί γε et pronomen ταύτῃ, quod additur, ut putemus, Jesum praesentem illum diem innuisse, quo ut Rex metropolin intraret, omnibusque Messiam sese manifestaret; qui dies ideo ἡμέρα σου dicitur i. e. dies Hierosolymitanis opportunus et laetus, quia iis nunc praesertim copia atque opportunitas concedebatur agnoscendi Messiam. — Τὰ πρὸς εἰρήνην σου scil. ὄντα vel ἀνήκοντα (εἰρήνῃ latiore sensu sumtâ) omnia complectuntur, quae ad urbis incolumitatem salutemque pertinebant.

In eâdem tandem sectione legitur: νῦν δὲ ἐκρύβη ἀπὸ ὀφθαλμῶν σου. Haec a Jahnio aliisque plurimis interpretibus ad praecedentia referuntur, nobis vero, praeeunte jam Theophylacto, cum sequentibus potius arctissime conjungenda videntur; ut vertamus: *Nunc vero tuis oculis absconditum est, dies venturos esse*, caet. Ex hâc enim interpretatione optime omnia cohaerent; nec in hâc sectione bis eadem fere repetitur sententia, nec negotium nobis facescit ὅτι, in sequentis sectionis initio. Nec dicat quis, ut hanc refellat interpretationem, non potuisse Hierosolymae incolis a Christo hanc objici et vitio verti rerum futurarum ignorantiam, quippe culpâ vacantem; nam primum eos minime latere poterat, divinas poenas iis imminere, qui legatum divinum repu-

(1) Cff. Polybii et Senecae loca, quae post alios citat ad h. l. Kuinoelius.

Digitized by Google

pudiarent. Deinde Jesus saepius, vel imaginibus et parabolis, vel disertioribus monitis, Judaeis annuntiaverat, quid ipsos, Messiam spernentes, maneret. Denique in hâc eorum ignorantiae commemoratione non tam cernitur culpae exprobratio, quam misericordiae significatio, quâ optimus hominumque amantissimus Sospitator eos prosequebatur, qui cum ultima quaeque ipsis minitarentur, laeti exsultarent. Quae cum ita sint, sic locum construendum puto, ut ab ὅτι pendere censeantur, quaecunque sect. 43 et 44. inveniuntur *futura*. Quo semel monito, non opus erit ut, singula interpretantes, de cujusque futuri dicamus suspensâ constructione.

His itaque sectionibus obsidionis, quae Hierosolymam maneret, depingitur gravitas et exitus, item ejus caussa memoratur. Quae primum nunc leguntur: ἥξουσιν ἡμέραι ἐπὶ σὲ, plane ad Hebraicae linguae indolem ac Prophetarum dicendi rationem expressa sunt. Nescio tamen an huic formulae quodammodo insit improvisi cujusdam mali, subito irruentis, significatio. Videtur certe haec dictio ad modo memoratam laetissimam, sed ab ipsis spretam, ἡμέραν referri ac respicere. „ Nunc longe diversae in te irruent dies, quae mala gravissima tibi afferent, ἐν αἷς (ita enim καὶ hic resolvendum est, quod Hebraicum וְ pro אֲשֶׁר usurpatum, imitatur,) περιβαλοῦσιν οἱ ἐχθροί σου χάρακά σοι, *quibus hostes tui vallo te circumdabunt.*" Grotius hoc plane idem esse affirmat quod significatur, ubi Hierosolyma dicitur, Luc. XXI: 20. κυκλουμένη ὑπὸ στρατοπέδων, cum χάρακα Cicero transtulerit

*cas-*

Digitized by Google

*castra*, et Tacitus etiam de Tito scripserit „ castris *ante moenia Hierosolymorum positis.*" Verum de hâc vocis χάραξ nostro l. significatione dubitare liceat, cum de *vallo* proprio dicto, (*Circumvallations Linie*, Jahnio l. l. p. 155.) haec accipienda esse, nos sequentia etiam doceant: καὶ περικυκλώσουσί σε. Haec enim nullam aliam admittunt explicationem, quam hanc: *Castris te circumdabunt, te circumsidebunt.* Conferantur interpretes Alexandrini ad Jos. VII: 9. Judd. XIX: 2. Eccl. IX: 4. Jes. XXIX: 1, quorum locorum posterioribus duobus, urbis κύκλωσις ab obductione χάρακος diserte distinguitur. Nostro igitur loco si Grotii sequamur rationem, inepta exsistat tautologia. (1) Quod sequitur: καὶ συνέξουσί σε πάντοθεν, nullam habet difficultatem. Verti potest vel cum Grotio: *et coangustabunt te ubique;* vel cum Kuinoelio: *et undique te affligent et angent.*

Per-

(1) Nostram interpretationem confirmatam vidimus per animadversionem ad h. l. *manuscriptam* Ruhnkenii; quo Philologo celeberrimo docente, χάραξ primo est *vallus* vel *palus acutus*, quo castra vel oppida cingi solent (vidd. Etymologus Magnus i. v. et Ammonius, *de diff. verborum Graecorum*, p. 145); deinde ipsum *vallum ligneum* vel *sepimentum*, quo castra et urbes circumdari solent, χάραξ appellatur. (Vid. Polyb. L. V. Cap. 20.) Caeterum valde laudat idem Ruhnkenius quae, ad hanc vocem et conjugata illustranda, contulit Raphelius ad h. l. — Consentit etiam cum eâ, quam dedimus, interpretatione Wesselingius in *dictatis mss.* ad h. l.

Digitized by Google

Pergit Jesus καὶ ἐδαφιοῦσί σε καὶ τὰ τέκνα σου. Verbum ἐδαφίζω ducitur ab ἔδαφος, *fundamento*, et universe notat *ad terram prosternere:* hoc est, quando de urbibus sermo fit, *solo aequare*, *plane destruere*, de hominibus vero, *solo allidere*, *interimere*. Posteriore significatu respicit ad morem immanem parvulos solo, muro vel petrae allidendi. Conferantur exempla ex V. F. ejusque interpretatione Alexandrinâ, quae attulerunt Wolffius, (in *Cur. Phil. et Crit.*) Kuinoelius, alii. Quod ad nostri loci rationem attinet; est hic, recte monente Grotio, σύλληψις: paullo enim aliter ἐδαφίζεσθαι de urbe dicitur, quae *solo aequatur*, aliter de hominibus, qui *solo alliduntur*. Eandem sententiam amplexus Ruhnkenius (in *dictatis ms.* ad h. l.) docet ad τέκνα repetendum esse vocabulum ἐδαφιοῦσι, quod proprie de urbe, improprie de liberis dicatur: „ *nam*, inquit, „ *tam prosae quam ligatae orationis scriptores saepissime duobus substantivis unum verbum adjungunt, quod alteri tantum substantivo respondeat, alteri per se posito, nullo pacto applicari posit.*" Latine optime reddi posse videtur: *humi posternent te et filios tuos.* Cum Grotio, Kuinoelio aliisque, propria vocis τέκνων significatio retinenda esse videtur, ut crudelem illum morem, modo memoratum, hoc quoque dicto exprimi statuamus. Alii tamen, inter quos Bretschneiderus, universe intelligunt *urbis incolas*, *cives Hierosolymitanos*; constat enim urbes saepius ut matres incolarum informari. — Additur denique huic dicto ἐν σοὶ, quod Cod.

D.

D., per crebam offensus pronominis repetitionem, omisit. Hoc explicat Grotius, *filios qui in te sunt:* sed pari aut meliore jure ἐν σοὶ arctius cum ἐδαφιοῦσι jungi potest ut sententia sit: *Infantes tui occidentur mediis in mœniis tuis;* cui explicationi praecedens σου etiam favet. Καὶ οὐκ ἀφήσουσιν ἐν σοὶ λίθον ἐπὶ λίθῳ· (Cod. D. aliique testes perverse addunt ἐν ὅλῃ σοί). *Neque lapis super lapide in te relinquetur.* Est haec proverbialis et hyperbolica quaedam locutio, quae plenam vastationem describit. Haec legentes, quae cum universe de totâ urbe, tum praesertim de templo magnificentissimo accipienda sunt, sponte in memoriam recurrimus contrariae narrationis, ubi in eodem templo *lapis super lapide* collocari dicebatur, Hagg. II: 16. Maximis autem molibus marmoreis constructum fuit hoc aedificium, narrante Josepho, (*Arch.* LXV. Cap. XI: 3). Uniuscujusque lapidis longitudo fuisse dicitur quinque et viginti, altitudo octo et latitudo duodecim cubitorum. Tandem hujus devastationis haec memoratur caussa: (1) ἀνθ' ὧν οὐκ ἔγνως τὸν καιρὸν τῆς ἐπισκοπῆς σου, *quoniam non agnovisti*, i. e. agnoscere noluisti, *oblatae tibi salutis tempus.* De vocis ἐπισκοπὴ significatione multum quaesiverunt interpretes. Hesychius eam cum ἐκδικήσει permutat. Ita quoque Pricaeus, 1 Petr. II. 12. conferens. Theophylacti haec est interpretatio: τῆς ἐπισκοπῆς σου, τούτεστι τῆς ἐμῆς παρουσί-

(1) Conferatur locus, qui exstat 2 Thess. II: 10 - 12, quem ipsum Jahnius ad Hierosolymorum vastationem trahit.

σίας, ὅτε ἦλθον ἐπισκέψασθαί σε καὶ σῶσαι. Grotius vocem *mediam* dicit, quae modo ad poenas, mox ad beneficia referenda sit; Kuinoelius *salutem*, *beneficiorum collationem* intelligit. Schleusnerus locum explicat: „ *Propterea quod non recte uteris tempore, quo Deus tibi per me felicitatem offert.*" Item Bretschneiderus, *tempus salutis* intelligit. Nos quoque, eâdem fere ratione locum interpretantes, καιρὸν τῆς ἐπισκοπῆς σου, ita accipimus, ut idem fere sit quod modo antea ἡμέρα σου αὕτη, sed paulo latiore ratione significet illud *divinae benevolentiae tempus*, quo Jesus, in populo suo versatus, ipsi sese Messiam agnoscendi laetissimam occasionem praeberet.

Haec itaque Christus dixit, cum civium gratulantium atque acclamantium vocibus celebraretur, atque ab eorum magnâ multitudine Messiae honore ornatus, in metropolin introduceretur. Quod si eo tantum tempore, quo Hierosolymae cives ipsum vel persequerentur, vel adeo de cruce pendentem illuderent, huic interitum minitatus esset civitati, animo fortasse haec dixisse videatur, aut vindictae studioso aut suorum malorum sensu acerbato. Verum haec vaticinia eâ ipsâ prodidit horâ, quâ ei major, quam unquam alibi, a civibus honor habebatur ac laus tribuebatur! Quod quam magnum prodat Sospitatoris nostri animum, nullis vel disertissimi scriptoris, nedum meis, verbis aut oratione, sicuti par est, declarari potest!

Ali-

Digitized by Google

*Aliorum quorundam vaticiniorum collatio.*

Hujusmodi de Reip. excidio vaticinia ſaepius Judaeis, Dei nomine, et antea annuntiata erant, et mox annuntiabantur. Ne enim de Prophetarum antiquiorum aut Joannis Baptistae vocibus dicamus, ipſe Christus, ſaepius pluribusque parabolis, vel furorem quo ſe invicem aggresſuri esſent, (1) (Matth. XII: 43-45 Luc XI: 24-26) vel interitum iis jamjam inſtantem, (Matth. XXI: 19-21. Marc. XI: 13-21.) vel ipsorum a Deo repudiationem et rejectionem (Matth. XXI: 33-49 et praeſertim ſect 49, Marc. XII: 1-12. Luc. XX: 9-19 et Matth. XXII: 1-14.) vel gravisſimas poenas, quae Mesſiae contemptores manerent (Luc. XIX: 11-27.) praedixit ac depinxit. Quin etiam *ſeſe venturum esſe* ad poenas infligendas affirmavit (Matth. X: 23. Luc. XVII: 24). Et vero de horum eventuum tempore aliquas definitiones dedit. (Matth. l. l. et XVI: 27 ſq. Marc. IX: 1. Luc. IX: 27.) (2) Verum nunquam diſertius aut fuſius his de rebus dixit, quam in oratione celeberrimâ, quam Matth. Cap. XXIV. et XXV, item Marcus et Lucas locis parallelis, conſervârunt, quamque quo die ultimâ vice templum inviſerat, in montis Oliveti declivitate ſedens, habuisſe vi-

(1) Cff. Joſephus *de Bello Jud.* L. II. C. XIII. 14. et Jahnius l. l. p. 85. ſq.

(2) Cff. Jahnius l. l. p. 89-95. et Suringar l. l. p. 289 ſq.

Digitized by Google

videtur. (1) Ex quâ oratione, cum multa loca ad nostri vaticinii illustrationem conferri possint, nos, brevitatis rationem habentes, ea tantum excitabimus, quae magnam cum hoc similitudinem habeant, aut disertissime id confirment et amplificent.

*Primum* igitur, quod nostro loco legitur περικυκλώσουσί σε, hoc illustratur loco Lucaneo XXI: 20. *Quum autem circumdatam exercitibus Hierosolymam videbitis, tum scitote ejus instare vastationem*: ubi quae memoratur ἐρήμωσις conferenda est cum βδέλυγματι ἐρημώσεως, quod memoratur apud Matth. XXIV: 15 et Marc. XIII: 14. — Quod in nostro vaticinio dicitur συνέξουσί σε πάντοθεν, hoc exponitur Matth. XXIV: 21 et Marc. XIII: 19, ubi affirmat Conservator, tantam tunc miseros oppressuram esse calamitatem, quanta nec ab initio inde mundi unquam fuisset, nec ullo tempore futura esset. Hae enim ἐκδικήσεως dies futurae erant, quarum atrocitas vividâ valde imagine depingitur. (Matth. l. c. sect. 16-20. 22 ac locis parall.) *Secundo.* Nostro loco dicit Sospitator: ἐδαφιοῦσι τὰ τέκνα σου: ad quod dictum conferenda est Christi vox, (Luc. XXI: 24.) ubi de Hierosolymae incolis universe: *Gladiorum*, inquit, *acie cadent et per omnes gentes exsulent*, i. e. eorum alios haec, alios illa sors manet. Sed antea etiam, con-

(1) Cf. de illo celeberrimo vaticinio Henr. Augustus Schott: *Comm. Exegetico-Dogm. in eos J. C. Sermones, qui de reditu ejus ad judicium futuro et judicandi provinciâ ipsi demandatâ agunt.* (Jenae, a°. 1820.)

Digitized by Google

conditione positâ, dixerat Conservator: (Luc. IX: 5) *Nisi resipiscatis, omnes vos similiter* (ac Galilaei, violentâ morte a Pilato trucidati) perituri estis. *Tertio.* Quod breviter in solenni itinere dixerat Dominus, ἐδαφιοῦσί σε, hoc etiam fusius in laudatâ persequitur oratione: praedicit enim (Luc. XXI: 24.): *Calcabitur a gentibus Hierosolyma.* Ejusdem autem interitus atque eversio, (Matth. XXIV: 29-31. coll. Marc. XIII: 24-27. et Luc. XXI: 25-29.) imaginibus, a solis, lunae ac siderum obscuratione ductis, valde poëtice describitur; additurque mox Christum, illustri hâc de Judaeis reportatâ victoriâ, magnâ se gloriâ proditurum esse, coeli veluti nubibus vectum. (1) *Quarto* denique, vaticinio nostro finem imponit Jesus, hisce verbis usus: καὶ οὐκ ἀφήσουσιν ἐν σοὶ λίθον ἐπὶ λίθῳ. Sed ipsissimum hoc de templo singulatim praedicitur (Matth. XXIV: 2.): *Profecto affirmo vobis, ne lapidem quidem super lapide hîc relictum iri, qui non disrumpatur.* Atque eâdem ratione accipiendum videtur, quod id templo egrediens dixerat (Matth. XXIII: 38.): *Ecce!* (o Hierosolyma!) *deserta tibi relinquetur domus tua!* — Tam

(1) De difficillimo illo loco quominus plura in medium proferamus, vetat argumenti ambitus. In diversas sententias abeunt intpp. Nos secuti sumus Grotium, Kuinoelium, Jahnium, Fritzschium, alios. Schottius haec de ultimo judicio exposuit l. l. p. 73-124. Eum multis argumentis refutavit Stäudlinius in opusculo: *Jesus der Göttlicher Prophet*, p. 41-47.



Digitized by Google

Tam constanter itaque et tam immotâ cum persuasione, patriae suae terrestris ultima fata et praevidit et praedixit Christus!

*De Christi vaticiniis, per Hierosolymae fata confirmatis.*

Haec, quae memoravi, vaticinia a Christo et alias et solennis Introitûs opportunitate edita, non ambigua, verum simplicissima et evidentissima sunt dicenda; ita ut vere suos discipulos alloqui Christus posset: ὑμεῖς δὲ βλέπετε· ἰδοὺ προείρηκα ὑμῖν πάντα. (Marc. XIII: 23.) Res autem praesignificatae humanâ sagacitate minime poterant praevideri; cum perquam improviso evenerint, quod egregie demonstrârunt Suringar (l. l. p. 320-350) et Jahnius. (l. l. p. 87, 88, et 137-139.) Cum igitur hujus oraculi minutissima etiam momenta exitu comprobata sint, hinc pro divinâ Domini nostri praescientiâ certissimum peti potest argumentum. (1) Cujus rei quo certior fides sit, paucis videamus, quam luculenter Jesu hae praedictiones per ea confirmentur, quae de ultimis Reip. Judaicae fatis memoriae prodidit Josephus, in libris *de Bello Judaico.* Ex quibus tamen ea tantum attingemus, quae pro-

(2) Illos detrectatores, qui plura finxisse dicunt Apostolos post Hierosolymorum interitum, quam quidem ipse vaticinatus fuerit Jesus, optime redarguerunt Jahnius l. l. p. 106. Suringar l. l. p. 312-320.

Digitized by Google

proxime cum nostro consilio conjuncta sunt. (1)

Titus igitur, qui, postquam pater Vespasianus Imperator creatus erat, exercitui Romano, cum Judaeis bellum gerenti, erat praefectus, Hierosolymam obsidione cinxit, festi Paschatis tempore; quo fiebat, ut omnes qui e totâ regione convenerant, derepente bello circumdarentur, et carcere quasi tota gens esset conclusa. (de *Bello Judaico* Lib. V. Cap. III. Sect. I. et VI. IX. 3 et 4.) Jam tum triplex in ipsâ urbe exstiterat seditio, quâ in sua veluti viscera saevirent cives; (V. I. 1.) caedibus passim polluebatur templum; (Ib. 2.) mortuis sepeliendis non dabatur cura; (Ib. 5.) fere omne concrematum erat frumentum; (Ib. 4.) ut senes et mulieres jam tum pro Romanorum victoriâ vota facerent, (Ib. 5.) et, jam ante obsidionem Josephus hancce urbem ita alloqui posset: „ Quid tanta passa es, O miserrima civitas! a „ Romanis, qui ad tua intestina scelera flammis purganda accesserunt! Neque enim Dei tu amplius „ habitaculum es, neque est ut id maneas, quae tuorum cadaverum ipsa facta es sepulchrum, quaeque „ civili bello theatrum constituisti Templum!" (V. I.

(1) Haud nescio, ea quae hic breviter enarravi, alibi fusius exposita legi posse. Verum, cum hujusce argumenti caussâ Josephi de *B. J.* libros legissem, cupiebam ex hâc lectione ea certe promere, quae nonnullos mei opusculi lectores ad ipsum Flavium his de rebus consulendum adducere possent. Quae res si excusatione indigeat, eam juveni impertiant aequi judices velim.



Digitized by Google

I. 3.) Redintegratâ obsessione, (V. IX. 2.) arcte urbem presserunt Romani; saepius fuit pugnatum; diruerunt vel combusserunt Judaei Romanorum opera; donec hi tandem, attonsâ omni circa civitatem regione, aggeres ducerent, quibus totam circumdarent urbem. (VI. I.)

Interea horrenda quaevis mala in ipsâ urbe saeviebant. A Zelotis et latronibus crudeliter vexabantur cives, divitesque necabantur. (V. X. 2.) Fames in dies ingravescebat; matresque adeo ex ipso infantium ore cibum rapiebant. (V. X. 3.) Nihil tam abjectum quin comederent; postremo tempore ne a cingulis quidem et calceamentis abstinentes, atque ipsa scutorum coria, dentibus avulsa, conficientes. (VI. III. 3.) Immo mulier quaedam, nomine Maria, infantem suum lactantem comedit. (VI. III. 4.) Propinquorum cadavera sepelire non potuerunt aegri: nam nullas non humaniores animi commotiones superabat fames. (V. XII. 3.) Multitudo cadaverum in ipsâ urbe congestorum horrenda erat, pestiferumque emittebat odorem. Quin mortuorum cumuli pugnantium excursibus impedimento erant. (VI. I. 1.) Diu antequam caperetur urbs, numerus jam horrendus 115,880 cadaverum per unam urbis portam fuerat elatus. (V. XIII. 7.) Multa corpora in profundas voragines de muro dejiciebant. (V. XII. 3.) Quod ejusmodi erat, ut Titus, moenia cum circumiret, sublatis in coelum manibus, non suum illud facinus esse per Deos testaretur. Quin urbe captâ victores invenerunt integras, quas fames confecerat, defunctorum familias et tec-

Digitized by Google

tecta plena mortuis, qui non minus miſerabiliter exſtincti erant. (VI. VIII. 8.) Per hanc enim obſidionem et mox post urbem captam 1,100,000 homines perierunt.

Sed ad hujus obſidionis revertamur historiam. Brevi postquam, ut ſupra vidimus, aggeribus circumdata erat urbs, arcem Antoniam capiunt hostes et ſeptem diebus post plane diruunt; (VI. II. 7.) nunc aggeres contra templum ſtruunt (Ib. 7.) cujus porticus mox incenderunt Judaei, (Ib. 9. et III. 1.) mox Romani. (VI. III. 2.) Postmodum ipſum templum arietibus concutitur; ſed cum Titus vidisſet, ſe exteri populi templo parcere conatum, id facere cum militum ſuorum damno et nece, ignem portis ſubjici jusſit. (VI. IV. 1.) Itaque templi incendium initium capiebat, et nocte ſequente inprimis per porticus grasſabatur. (Ib. 2.) Nobiliſsimis vero belli ducibus in auxilium advocatis, lectos milites jusſit Titus per ruinas viam ſibi ſternere ignemque reſtinguere. (Ib. 3.) At frustra. Judaei in templum interius ſeſe occludunt. Miles autem quidam aliquid ardentis materiae quaeſiverat, ignemque per fenestram auream injicit. Quod cum Tito fuisſet nuntiatum, ſtatim, ab omnibus belli ducibus ſtipatus, proſiluit atque ad templum properavit. Ignem exſtingui jubet, ſed ejus vox non auditur; iracundia, Judaeorum odium et belli impetus vehementisſimus ſuperabat militum erga Titum reverentiam; atque adeo, vel invito Caeſare, templum totum diruitur. (VI. IV. 7.) Nunc mulieres et pueri et alia multitudo, ad ſex millia homi-

Digitized by Google

minum, peribat a falso Propheta seducta, cum ignis ad porticum etiam exterioris templi venisset. (VI. v. 2.) Jam vero tyranni, qui urbem tam misere vexaverant, inprimis Joannes et Simon, oblatas conditiones non accipiunt; quam ob rem vehementer iratus Titus, milites suos totam urbem incendere jubet. (VI. vi. 2 et 3.) Denique machinas etiam urbi superiori admovent. Turres autem, quas nunquam machinis superare potuissent Romani, ipsi Judaei insaniâ quâdam correpti relinquunt. Tota urbs capitur; et ultimus ardentibus Hierosolymis illuxit dies, octavus Gorpiaei mensis, qui noster habetur mensis Septembris, anno post mortem Christi quadragesimo tertio. (VI. viii. 4.) Jubet Caesar totam funditus evertere civitatem, relictis turribus tribus, eâque muri parte, quae civitatem ab Occidente cingebat, ut ibi castra essent militibus, illic praesidii causâ relinquendis. Reliqua urbs ita solo aequabatur, ut qui eam unquam habitatam fuisse affirmaret, vix fide dignus posset videri. (VII. i. 1.)

Ipse Titus hâc in re Dei manum agnovit: etenim Deo, inquit, favente bellum gessimus; Deus est, qui Judaeos ex istis munimentis detraxerit: nam humanae manus et machinae, quid contra tales valuissent turres? (VI. ix. 3.) Ac Philostratus narrat, (*in vitâ* Apollonii Thyanei Lib. V. C. XIV.) Titum, cum vicinae gentes, ipsi hanc victoriam gratulantes, coronas offerrent, semet ipsum eo honore indignum judicâsse; neque enim se haec patravisse, sed Deo tantum, iram demonstranti, suas veluti commodâs-

se

Digitized by Google

se manus. (1) Simile quid etiam gravi oratione professus est Josephus. — Nunquam restituta fuit urbs aut templum. Nicephorus Callixtus (*Hist. Eccl.* Lib. III. C. 24.) refert, Hadrianum quaecunque ex vetustis aedificiis reliqua adhuc fuerant, prorsus diruisse et ita solo aequâsse, ut ne lapis quidem super lapide maneret. Ut novae urbis exstructione memoriam antiquae Hierosolymae deleret, Trajanus eodem fere in loco condidit urbem sacram Jovi Capitolino, cujus portae, quae Bethlehemum ducebat, suem imposuit, marmore insculptam. Judaeis interdictum erat quo minus in hujus urbis confiniis commorarentur, (2) ultra unum diem. (3) Denique quomodo Juliano cesserit consilium, templi denuo aedificandi, ut mendacii convinceret Christi vaticinia, universe notum est. (4) Horum itaque omnium cum memoriam repetimus, non possumus non providam Dei curam venerari (5) et Jesum agnoscere Vatem

(1) Cf. Witsius Exerc. XI. in T. II. *Miscell. Sacror.* — *De Historiâ Hierosolymae.*

(2) Tertullianus *contra Judaeos*, Cap. XV.

(3) Gregorius Nazianzenus in Orat. XII. p. 202.

(4) Socrates *Hist. Eccl.* L. III. C. 20. Sozomenus *Hist. Eccl.* Lib. V. C. 21. Chrysostomus *contra Judaeos* Orat. III. C. 9.

(5) Narrant Ammianus Marcellinus L. XXIII. C. 1. Socrates *H. E.* V, 22. Nicephorus Callixtus *H. E.* X, 32 et 33. et Chrysostomus Hom. IV. in Matthaeum, a Jahnio citati l. l. p. 109, Julianum fundamenta etiam templi effodi curâsse.

Digitized by Google

tem, a Deo misſum. Hujus enim vaticinium eventu plenisſime comprobatum esſe, demonſtrare conati ſumus. (1)

## § VII.

### *Historiae Concluſio.*

---

### *De loco Matthaei XXI:* 10. *ſq.*

Postquam Christus, honorificâ pompâ deductus, torrentem Cedronem transgresſus erat, eo magis auctae fuisſe videntur gratulantium acclamationes, quo propius ad urbem accederet, et quo major incolarum numerus ex urbe ei obviam rueret. Nec, cum metropolin intrâsſet, quidquam laetitiam jubilantium cohibere pote-

(1) Multi Jeſu vaticinia magno ſtudio ita deprimere conati ſunt, ut ſagacisſimi hominis incertas contineant de rebus futuris, conjecturas, humanâ ratiocinatione excogitatas. Ita Paulus *Phil. Krit. Comm.* Th. III. p. 372-379. et in opere: *das Leben Jeſu*, II. p. 85. Item ſcriptor anonymus operis: *Ausführliche Erklärung der ſämmtlichen Weisſagungen des N. T.* Leipz. 1803. p. 176, 179-181, 188, 189. (de quo vide postea) qui ſcurrili modo vaticinia illudit potius, quam illustrat. Quam rem agens, Germanici vocabuli etymologiâ abuſus, contendit *vaticinari* (*Weisſagen*) nihil aliud esſe quam: *etwas weiſes ſagen.* Horum vel argumentis vel commentis multa egregie oppoſuit Suringar l. l. qui vid. inpr. p. 333. ſqq. Idem fecerunt Stäudlinius l. l. aliique multi.

Digitized by Google

terat, qui nunc certe, gaudio pleni, nihil ſibi a Synedrii minis timebant. Comitante innumerâ catervâ, templum petit Christus, dum laetis mons ſanctus reſonat acclamationibus.

Non mirum est, per hoc ſpectaculum totam commotam esſe urbem. Hoc Matthaeus refert, ſect. 9. καὶ εἰσελθόντος αὐτοῦ εἰς Ἱεροσόλυμα ἐσείσθη πᾶσα ἡ πόλις, λέγουσα· Τίς ἐστιν οὗτος; Facile distingui poterant hae, quae nunc audiebantur, acclamationes a ſolitâ eorum laetitiâ, qui, festis temporibus, ſacros hymnos canentes, metropolin ingredi ſolebant. Conſpiciunt enim Hieroſolymae *incolae* (pro quibus hîc metonymice ipſa *urbs* dicitur) ingentem catervam, ordine quodam non plane turbato progredientem, arborum ramos in altum efferentem, atque in medio agmine Virum quempiam, aſino vectum, cui omnes certatim applaudunt. Itaque urbs ἐσείσθη; quod non ad timorem retulerim, quo Hieroſolymitani illi perculſi ſint, qui inauguratum nunc Mesſiam trucidare conati esſent: nam omnia hîc ad laetitiam, non ad ultionem perſequendam, compoſita erant; nec dum cognoverant, quis ille esſet, quem tam honorifice comitaretur agmen. Quare ἐσείσθη explicandum potius est de plurimorum incolarum, ſpectaculi novitate excitatorum, *concurſu*, cum rei admiratione ejusdemque cognoscendae cupiditate conjuncto. — Itaque rogant: *Quis est ille?* „ Qualis hic ac quantus Vir, quem tanto vos honore proſequamini?" Hoc ii quoque quaerere potuerunt Hieroſolymitani, quibus non plane incognitus esſet Christus: rogabant enim anteaquam,

Digitized by Google

quam, per concurſum ac comitantium multitudinem, dignoscere ipſum potuerant. Reſpondent, referente eodem Matthaeo, ſect. 10, *οἱ ὄχλοι* i. e. ut videtur, *οἱ προάγοντες*, antea memorati: *Οὗτος ἐστιν Ἰησοῦς ὁ προφήτης, ὁ ἀπὸ Ναζαρὲθ τῆς Γαλιλαίας.* Non omnes haec ſimul dixisſe, probabile est. Rogantibus alter fortasſe: *Jesus hic est!* reſpondebat; Alter: *Propheta est!* Tertius addebat: *Nazarethanus hic*, vel *ex Galileae urbe Nazareth oriundus, est Propheta!* Has variorum varias reſponſiones conjunxisſe videtur Euangelista. Non diſerte *Messiam* eum esſe affirmant, quod nimirum tam certum atque exploratum habent, ut hâc quidem de re nemo dubitare posſit. *Τὸν Προφήτην* eum dicunt, qui *Propheta* esſet *κατ' ἐξοχὴν*, omnibus notus ille, caeterisque, qui unquam fuisſent, Prophetis longe praeferendus. *Galilaeum* tandem ac *Nazarethanum* eum vocant, vulgarem famam ſecuti, quae hinc eum oriundum esſe ferebat. Quae ultima vox ab iis fortasſe profecta est, qui, ipſi *Galilaei* cum esſent, impenſe nunc laetarentur, quod in ſuâ, contemptisſimâ caeteroquin, regione magnus ille natus esſet Israëlis Rex.

Quamvis ſimplex ſit haec Matthaei narratio, non potuit tamen eadem Schleiermacheri (1) effugere reprehenſionem; qui h. l. ſignificari existimat magnum *per urbem* iter fecisſe Christum, quod tamen iter, ab Olivarum montis latere templum petentibus, brevisſimum fuerit. Enimvero de vi-

(1) *Ueber die Schriften des Lukas*; l. cit.

Digitized by Google

viae aut brevitate aut longitudine ne verbum quidem monuit Matthaeus, qui tantum *intrâsse Hierosolymam* Christum dicit. Quod nisi fecisset, templum sane adire non potuisset. Nec narratio de *universâ urbe*, i. e. maximâ ejus incolarum parte, *commotâ* malam excitet velim suspicionem contra veracissimum Historicum. Nam cum plerumque multi homines esse solerent in templi viciniâ; tum novae rei fama excitati, plurimi undique nunc huc confluebant. Quare displicuisse hunc Viro clarissimo locum, vehementer miror.

*De iis, quae proxime Christi Introitum secutae sunt, rebus gestis.*

De his paullo uberius disputare decreveram. Verum ne in nimiam molem cresceret mea commentatio, ea, quae chartae jam mandaveram, potius omittenda duxi. Itaque haec verbulo monuisse sufficiat. Cum templum intrâsset Christus, continuo Patris aedem ab iis purgavit, quibus turpiter ea profanabatur. Quod docent Matthaeus (XXI: 12, 13) et Lucas. (XIX: 45, 46.) Non nescio quidem, difficultatem quandam hîc nasci ex Marci collatione, qui templi purgationem cum posterae diei historiâ conjungere videtur. (Cf. Cap. XI. sect. 12 cum sect. 15.) Quem nodum cum varii varie solvendum putaverint, ego cum Schuttio (1) rem,

(1) Vid. *Heilige Jaarboeken*, T. II. p. 251. Huic praelusse olim Sandhagenium, comperi ex Wolfii *Curis* etc. ad Marc. XI: 15.

Digitized by Google

rem, hoc die inceptam, ſequenti continuatam aut repetitam esſe existimaverim. Neque enim improbabile est, mercatores nunc ejectos, postea, faventibus ſacerdotibus, rediisſe, jam vero Christum, graviore etiam cum auctoritatis ſuae ſignificatione, perfecisſe, quod antea inchoâsſet. Et vero discriminis aliquid intercedit Matthaei Lucaeque inter et Marci narrationem, cum hic unus (ſect. 16.) prohibuisſe Christum referat, quominus *vaſa per templum portarentur*. Quidni itaque, cum aliam ſatis commodam conciliandorum Euangelistarum rationem non inveniamus, ſeveriore etiam modo, altero die, de quo Marcus referat, aedis ſacrae purgationem a Christo inſtitutam esſe ſtatuamus? — Quidquid ſit, templo purgato denuo egregie Dominus ſustinuit Mesſiae perſonam. Hic enim jus habebat Patris aedem a profanatione vindicandi. Huic ipſi quoque Judaei legum aut ferendarum aut abrogandarum potestatem tribuebant. (1) Eidem hoc ante omnia officii incumbebat, ut puriorem propagaret religionem, neglectum Dei cultum inſtauraret, ac meliores de rebus gravisſimis notitias Dei populo traderet. (Conf Malach. III: 1, 3. et Hagg. II: 7.) Templo porro purgato, ſacerdotibus ſe majorem esſe, eorumque ſe non extimescere iram, demonſtravit. Sed idem, cum Patris tantum honorem vindicaret, nec gloriam ſibi aucuparetur, terrestres ſectatorum ſuorum ſpes inanes esſe demonſtravit, ac ne quid turbarum excitarent ſapienter prohibuit. — Nec hoc

(1) Cf. Bertholdt in libro: *Christologie* caet. p. 163.

Digitized by Google

hoc ſane Mesſia minus dignum erat, quod mox in templo aegrotos ſanaret. (Matth. XXI: 14.) Ita ſane optimo jure in ipſo fiduciam repoſuisſe populum, luculenter patebat. Atque haec quoque morborum populi curandorum benignitas in iis erat, quae magno, quem exſpectabant, Regi tribuerent Judaei. (1) Non mirum igitur est, hanc aegrotorum ſanationem pueros excitâsſe, ut et ipſi, ſicuti ſupra vidimus, *Hoſanna!* Prophetae acclamarent. (Matth. XXI: 15, 16.)

Atque ita cum Mesſiae munus egregie ſustinuisſet, ex urbe Bethaniam abiit. (Matth. XXI: 17.) Veluti Vir privatus, inquam, ad amicos ille rediit, qui mane, multis comitantibus hominum centenis, ſolenniter urbem intraverat, nec eorum quidquam fecerat, quae novarum rerum cupidi ſperaverant Judaei. Quod egregio ſane probat documento, ab omni malâ ambitione remotisſimum fuisſe magnum Conſervatoris nostri animum. (2)

De-

(1) Cff. Schoettgenius et Wetſtenius ad Matth. VIII: 17. qui multos Judaeos ex Jeſ. Cap. LIII. ſect. 4. etiam hoc effecisſe docuerunt, fore ut Mesſias morbos ſanaret. — Praeclare dixit Stolzius ad h. l. „ *Immer „ fand ich es ſehr ſchön, daſſ Jeſus, von einer Handlung „ Feuereifers, ſo leicht zu menſchlichen Hülfsleistungen über- „ gehen konnte.*"

(2) Quae Joannes (XII: 20 ſqq.) de Graecis retulit, Christum conſpicere cupientibus et de ſermone, eâdem occaſione habito, multi viri docti eodem hoc die facta esſe existimant. Sed, quoniam horum ſententiae calculum adjicere non posſum, haec mihi praetereunda putavi.

Digitized by Google

Denique hîc mihi animadvertendum est, Christum, ab eo inde die, quo solenniter Hierosolymam ingressus esset, apertius, quam antea fecisset, *Messiam* se professum esse, et nunc, ne praesentibus quidem inimicis, ab hâc professione prorsus abstinuisse; eumque tandem, cum hanc tueretur dignitatem, solenniter templo valedixisse. Quo tempore, ad verba respiciens, quibus ingredientem ipsum salutaverant cives, graviter dixit: Λέγω γὰρ ὑμῖν· Οὐ μή με ἴδητε ἀπ' ἄρτι, ἕως ἂν εἴπητε· Εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι Κυρίου. (1).

(1) Lectores rogatos volo, ut pulcherrimam legant Christi, Hierosolymam ingredientis, cum Judaeorum Pontifice comparationem, quae in Erasmiana *Paraphrasi Marci* invenitur. Quamquam Erasmus hunc nominans, quem cum Christo compararet, alium quempiam innuisse videtur, quem, ab *anathematis* sibi fulmine metuens, diserte significare non auderet.

PARS

Digitized by Google

# PARS ALTERA.

## DE CONSILIIS QUAE CHRISTO, SOLENNITER HIEROSOLYMAM INTRANTI, VEL VERE FUERINT, VEL FALSO TRIBUTA SINT.

## SECTIO PRIOR.

### DE GENUINIS JESU, URBEM SOLENNITER INGREDIENTIS, CONSILIIS.

*Praemonenda.*

De consiliis, quibus adductus sit Christus, ut eâ, quâ vidimus, ratione Hierosolymam ingrederetur, nihil quidquam monent Euangelistae. Est haec nimirum simplex eorum, quam ubique secuti sunt, narrandi ratio, quâ res tantum gestae traduntur, in earum vero caussas ac sequelas datâ operâ non inquiritur. Neque unquam optimi Viri ad laudem *pragmatice* scriptae, ut vulgo ajunt, historiae adspirârunt. Nec hujusmodi tamen est hoc eorum de Magistri propositis silentium, ut haec nequaquam perscrutari aut declarare possimus. Enimvero cum ex ipsius Domini nostri munere atque ingenio, tum ex rerum temporisque adjunctis, tum ex hujus Introitûs sequelis, haud

Digitized by Google

haud incerta duci posſunt argumenta, quae doceant non caſui fortuito, ſed ſapientisſimo Christi conſilio, hunc tribuendum esſe, quem ſpectavimus, eventum.

Sed etiamſi Jeſum praeparâsſe ſolennem huncce Introitum conſtat, bene tamen hîc distinguenda ea ſunt, quae *fecit* ipſe Jeſus, et ea quae *non prohibuit.* Minime enim discipulos vestimenta aſino imponere jusſit, aut palliis humum ſternere, nec populum incitavit, ut ex arboribus ramos caederet, eosque agitaret aut in viam projiceret. Nec magis multitudini injunxit, ut ipſum laetâ acclamatione Mesſiam proclamarét, aut honorificâ pompâ in urbem introduceret. Hoc quidem optimi Domini modestiae, quam cum in omni vitâ, tum hâc praeſertim opportunitate demonſtravit, minus convenisſet. Nec tamen ipſi populi laetitiam ac venerationem displicuisſe, ratio probat, quâ ejus voces gestusque ſibi honorificos a Pharisaeorum calumniis vindicaret. Ipſius Jeſu hâc in re hac praecipuae partes fuerunt, quod aſinam cum pullo arcesſeret, atque hoc omnibus videntibus conſcenſo, discipulis atque populo opportunitatem praeberet ſe venerandi; item quod, dum jumento in urbem vehebatur, oblatum honorem ſponte ac benevole acciperet. Verum probe tenendum atque animadvertendum, omnem pompam ita eum moderatum esſe, ut populi laetitiam temperaret, caveretque ne in novas res moliendas ea erumperet. Quod profecto metuendum fuisſet, ſi ipſius amici ac fautores, ex ſuo ſenſu ac ſpe terrestri, ſolennis Introitûs praeparationes atque adjuncta regere potuisſent. Enimvero Christi effecit

ſa-

Digitized by Google

sapientiâ, ut ne quid fieret, quod ipsius dignitati ac prudentissimis consiliis adversaretur.

Haec in antecessum monenda duximus, quo accuratius ea distinguantur, quae *jussit* Christus, ab iis quae *permisit*, nec improbavit. Jam vero *priore* hâc *Sectione*, quid Christus reverâ nunc spectâsse nobis videatur exponemus; *alterâ* deinceps falsas nonnullas aliorum de ipsius consiliis sententias refutare conabimur.

## § I.

*De Christi consilio, quo et Messiam sese demonstrare volebat, et hâc dignitate a discipulis civibusque suis agnosci.*

Hoc nobis agendum nunc est, ut sanctissimum veluti contemplemur Servatoris animum, atque ut in consiliis, quibus gravissimo tempore ad agendum adductus est, summam ipsius sapientiam et perscrutemur et veneremur. Quod pensum dum persequimur, utinam tam felicibus nobis esse contingat, ut nihil quidquam, quod summo illo Domino indignum sit, dicamus!

Ante 33 annos, ex Arabiâ in Judaeam profecti Magi, rogaverant: *Ubi est natus ille Rex Judaeorum?* Ad hanc vero quaestionem ille potissimum dies luculentum dedit responsum, quo magnus hic Rex, diu neglectus et contemptus, ut omnibus Messiam se demonstraret, solenniter metropolin ingrediebatur. Verum quidni, simulac publicum docendi munus sus-



Digitized by Google

ceperat, *Christum* sese professus erat? Quidni, qui baptismo inauguratus ac per 40 dierum in desertum secessionem, dignitati suae capessendae rite praeparatus erat, continuo metropolin adierat, ut ibi se Regem illum proclamandum curaret, omnibus majorem, quem tam ardenti cum desiderio exspectarent cives? In opinionem facile quis delabatur, meliore tum successu eum usurum fuisse, quam postea, cum diu jam tenui conditione vixisset, ac procerum odium vehementissimum sibi concitâsset. Verum enimvero, ita si egisset, callido succubiturus fuisset Insidiatori, qui, regio splendore terrestribusque opibus promissis, eum avocare conabatur a praestantissimo munere obeundo, cujus causâ hanc in terram venerat. Profecto si continuo palam Messiam se professus esset, terrestres civium suorum spes aluisset ac confirmâsset, quae potius paullatim emendandae atque purgandae erant. Hae nimirum de Messia, hujusce mundi Rege futuro, opiniones, quas saepissime refutare debebat Conservator, quaeque non raro salutaris ipsius doctrinae fructum imminuebant, prae caeteris obstiterunt, quominus maturius Messiam se aperte declarando, iis favere velle videretur. Nunc vero, cum et priorem partem τοῦ ἔργου sui, a Patre demandati, quae docendo atque Euangelio annuntiando continebatur, fere totam peregisset, et in eo jam esset, ut, morte expiatoriâ subeundâ, alteram ejusdem ἔργου partem obiret; nihil amplius damni sanctissimae causae ex hujusmodi solenniore declaratione metuendum erat.

Gravissimae autem causae erant, quae postularent, ut

ut semel certe, ante mortem suam, coram majore populi parte Messiam se profiteretur, nec semper hujus nominis honorem subterfugere velle videretur. Etiamsi enim luculenter et oratione et factis, qualis habendus esset, demonstraverat, nunquam tamen adhucdum regio honore a civibus se condecorari passus erat. Nec tamen ei committendum erat, ut post ipsius fata, cum aliquâ veri specie, hoc de ipso ab aequalibus ferri posset judicium: „ Huic nimirum Regi non ob„ sequendum est, qui semper regium honorem ac „ cultum detrectavit, atque ipse de debito sibi hono„ re dubitâsse videtur; certe, ad vitae finem usque, „ ancipiti nos exspectatione tenuit suspensos." — Ante plures jam menses ei objecerant inimici (Joann. X: 24.) Ἕως πότε τὴν ψυχὴν ἡμῶν αἴρεις; εἰ σὺ εἶ ὁ Χριςὸς εἰπὲ ἡμῖν παῤῥησίᾳ. Quod igitur tum, disertis fere verbis, iis responderat, qui infesto ipsum adibant consilio, hoc jam *ipso facto* amicis pariter atque inimicis testatus est, cum palam Messiam se gereret.

Nec dubitandum est, quin hanc dignitatis suae declarationem, quam edendam antea jam constituerat, sapienter aliquamdiu praeparaverit. Nam cum priori jam tempore subinde Messiam se agnoscendi familiaribus suis copiam fecisset; tum potissimum animadvertendum est, posteriore tempore eum caeteris quoque Judaeis, apertius quam antea, quis et qualis ipse esset, prodidisse. Ita in Tabernaculorum festo, audientibus Pharisaeis quibusdam, *Dei* se *Filium* esse affirmavit. (Joann. IX: 35-40.) Cum quo ejus dicto



Digitized by Google

omnino locus conferendus est, modo antea laudatus, (Joann. X: 24 sq.) eo magis ille memorabilis, quoniam tum publice in festo τῶν φώτων dixisse videtur. Quantopere autem et Lazari in vitam revocatio et coccorum prope Hierichuntem sanatio, qui, ipso minime prohibente, Messiam eum salutarent, ad ea praeparanda, quae Introitûs die facta sunt, accommodata essent, supra exponere conati sumus. (Parte I. Sect. I. § 2.) Quibus omnibus inter se comparatis docemur, quam sapienter Conservator paullatim ita civium suorum animos informaverit, ut, ineunte ultimâ vitae mortalis septimanâ, haud sine salutari fructu Messiam sese iis manifestare posset.

Jesus autem si unquam Israëlitis opportunitatem dare vellet, *Christum* se proclamandi, atque ita cavere, ne modestiam, quâ antea hunc honorem deprecatus erat, in alienam sententiam interpretarentur; nullo profecto magis opportuno, quam eo quo fecit, tempore, id facere poterat. Proxime enim instabat Paschatis festum, ad quod celebrandum plurimi jam Israëlitae, Hierosolymam convenerant; alii autem multi, hoc ipso die, cum Christo metropolin intrabant. Itaque nunc inprimis permultis ipsum agnoscendi opportunitas dari poterat. Neque diutius haec res differenda erat: noverat enim Dominus, in initio instantis festi mortem se manere. Quare magnanimiter nunc ut Rex ingressus est urbem, quâ mox exiturus erat, tanquam scelestissimi criminis reus, a Synedrio capite condemnatus.

Apostolis etiam sine dubio variis de caussis utilissimus

mus erat ſolennis Christi Introitûs dies. Nihil enim magis iis expediebat, quam ut certisſime ſibi perſuaſum haberent, fatali inprimis, quae Magistro inſtabat, horâ, Mesſiam ipſum et esſe et agnosci velle. Jam vero quantopere haec hora ad hanc in eorum animis confirmandam fidem accommodata erat! Nam quod nunc publico quodam actu, *Christum* ſe profitebatur, honoremque lubenter accipiebat, Regi ſibi habitum, hoc longe majorem in eorum animos vim habere debebat, quam privata, quam hâc de re ipſis impertierat, doctrina. Quâ de re quo certius conſtet, inprimis cogitent lectores mei velim, quantopere *ſymbolicis* prae caeteris actionibus doceri ament Orientales. Ad quorum ſenſum benignisſime accommodatâ inſtitutione, Deus hâc ratione per Moſem ac Prophetas ſaepisſime docendos curaverat Israëlitas. Nec aliter haud raro ſapientisſimus noster hominumque amantisſimus Conſervator amicos ſuos discipulosque docuit. Per miracula enim coelesti ſuae fidem fecit legationi; modestiam commendavit, poſito ante discipulorum oculos puero; idemque postea alio modo fecit, lotis eorum pedibus. Quid populum maneat, qui ad meliorem frugem redire nolit, ficu diris devovendâ demonſtravit. Ne nunc de Sacrâ Coenâ dicam aut Baptismo, in quibus ipſis vis est ſymbolica; aut plura alia memorem, quae huc jure referri posſint. Quid multa? Ejusmodi *actio*, illustrans, confirmans, comprobans *doctrinam*, eamque ad hominum non mentes tantum, ſed oculos etiam admovens, fuit is, quem conſideramus, Introitus. Neque enim ullâ magis perſpicuâ ac discipulorum ſenſui attemperatâ ratione ſe

*Mes-*

Digitized by Google

*Messiam* declarare potuit, quam nunc fecisse eum videmus. — „ Sed quid tu," ita quaerat fortasse quispiam, „ ad Apostolos potissimum hanc refers animadversionem?" Minime vero ad hos tantum equidem hanc restringendam puto actionis vim symbolicam. Sed de iis potissimum hic dico, quoniam neminis sane magis, quam horum, institutio Christo curae cordique erat. — Alia facili operâ possem addere: nam grata et accepta sine dubio erat Petro, Joanni, Jacobo, Thomae eorumque collegis, diu negata, nunc vero ab ipso Magistro concessa, opportunitas amoris ac venerationis palam demonstrandi, quâ ipsum diu prosecuti erant. Nunc tanquam Jesu familiares ab omnibus iidem cognoscebantur. Atque nunc jam percipiebat populus Jesum, ipso audiente et approbante, *Christum* ab iis declarari. Quo ipso efficiebatur, ut cum, paucas post elapsas septimanas, eandem hanc dignitatem Domino tribuendam esse palam docerent, non ex ipsorum ingenio, sed ex summi Magistri institutione, hanc profectam esse doctrinam, omnibus constaret.

Populo etiam Israëlitico utilissimum fuisse hunc Christi actum, ex supra dictis jam elucescit. Sed accuratius nunc res spectanda est, et eorum ratione habitâ qui Christum accepturi, et eorum qui pertinaciter eum rejecturi essent. Tollenda nimirum erat omnis dubitatio, quae multorum adhuc animos ancipites tenere poterat, esseme ille *Christus* necne? Publicum aliquod exstare debebat testimonium, quod efficacius, quam disertissimi quique sermones, qui a paucis tantum audiebantur, omnibus persuaderet, *Messiam* Jesum

ſum ſe ipſum, factis minime ambiguis, demonſtrâſe. (1) Fieri potuit, ut doctrinam hâc de re proditam male quis intelligeret; verum post ſolennem certe hanc pompam, nemo civium, qui verum ſincerâ mente cognoscere volebat, Jeſu hâc de re mentem ignoravit. — Per hunc porro Introitum omnium in ſe animos atque attentionem convertit. Atque hinc factum est, ut quaecunque mox Conſervatori vel tristia vel laeta evenirent, majorem, quam alioqui factum fuisſet, vim haberent in quam plurimorum animos. Nec mirum itaque illius, qui ante paucos dies, omnibus applaudentibus, metropolin intrâsſet, cum mortem tum reditum in vitam celerrime omnium ore et ſermonibus percrebuisſe. Quod quam egregie cum benignis Dei Christique conſiliis conveniret, non opus est ut doceamus.

Opportunitatem porro dabat Domini hicce actus, ut magna populi pars ſacerdotum ſuorum hierarchiae, quâ vehementer premebatur, ſe nunc jam ſubtrahere atque ſubducere disceret. Etenim ante aliquot jam menſes Synedrium, quicunque Jeſum profesſus fuisſet Mesſiam, hunc e ſynagogâ ejicere decreverat. Et vero, post Lazari in vitam revocationem, graviora etiam in ipſum ſtatuerat Prophetam, omnium maximum. Nunc vero Synedrorum haec juſſa palam irridet maxima Judaeorum multitudo, ac procerum ſuorum adverſarium, vehementisſimo ab iis odio habitum, Re-

(1) Vid. Melanchthonis *Annotationes in Euangg.* T. III. p. m. 522 et 523.

Regem palam declarat. Quod dum faciunt hi Judaei, a caussâ sacerdotum suorum ac principum suam jam nunc sejungunt caussam. Quod ne quis leve ducat aut exigui momenti velim. Nam ita paullatim fides labefactabatur, quam coecis suis habebant ducibus, atque ita sensim religionis doctrinae profitendae assuesiebant, quae illorum institutioni adversaretur. Atque hîc igitur veluti semina videmus Ecclesiae Christianae, quae mox in ipsâ gente Judaicâ fundanda esset. Nec dubitandum est, quin ea, quae nunc fiebant, vim haberent haud exiguam, ut plurimi ad eum, post ipsius in coelos abitum, agnoscendum praepararentur. Quem enim multi hocce die veluti Messiam suam inauguraverant, nonne hunc postea lubentius *Christum* agnoscere debebant, cum ad Apostolorum doctrinam de illo, Rege ac Domino divinitus constituto, recordatio accederet honoris, quo ipsi eum affecissent? Si multi eorum, qui *Hosanna!* ei acclamaverant, postea primo illo Pentecostes die, Petrum de Jesu, gloriâ coelesti jam affecto, dicentem audiverunt, de quo non est dubitandum; nonne sponte in hanc incidere debebant cogitationem: „ Ipse hic est, quem nos jam an„ tea venerabundi *Davidis Filium* salutavimus?" Quod si consideres, fatendum sane est, sapientissime ita rem moderatum esse Sospitatorem, ut ab Hierosolymae potissimum urbe, quam solenniter ipse intrâsset, Euangelii annuntiandi initium fieret.

Sed et aliud quid tandem nobis monendum superest. Nunc populo suo *Messiam* palam se obtulit Dominus, atque ita factum est, ut qui ejus populi cives de-

deinceps eum repudiarent, suâ id unice culpâ facerent. Nisi enim Jesus, hocce die semper memorabili, se profitendi et agnoscendi omnibus occasionem dedisset; nequaquam eum ita, sicuti nunc factum est, rejicere potuissent. Quae praecesserant, cum Christi monita, tum Judaeorum in ipsum crimina, multos ex iis quidem, nec totam tamen gentem, spreti Messiae ream fecerunt. Verum jam cum publice Messiam se prodidisset; nemo sine magnâ suâ culpâ ignorare deinceps potuit, qualem quantumque Prophetam dilectae olim genti dedisset Deus. Neque igitur excusationis quid iis supererat, quibus nunc potissimum post haec praegressa, summo jure gravissimam illam Christus objicere posset vocem: *Vos noluistis!* Etsi enim ipse, ut Dei Filius, instantem noverat impiae genti ac civitati sortem tristissimam; nihil quidquam tamen aut negligere debuit aut neglexit, quod ab optimo cive eodemque omnium maximo Propheta Deique ad homines Legato unico, fieri posset, ut summa atque ultima ab illâ averteretur calamitas. Atque ita cum ageret, plurimos quidem ab interitu servavit; ad caeteros vero quod attinet, Dei hos punientis justitiam, coeli terraeque incolis luculentissime probavit. (1)

§ II.

(1) Multi sibi placuerunt inquirendo, quid eventurum fuisset, si universus nunc populus Christum agnovisset. Quâ de re conjecturae legi possunt Michaëlidis, in notâ ad *S. C. interpretationem*, (edit. Belg.) T. XIV. P. II. p. 58. aliorumque. Nos, etsi doctorum virorum ingenium suspicientes, ab hujusmodi tamen disquisitionibus abstinere malumus. Cf. Deuteron. XXIX: 29.

Digitized by Google

## § II.

*De Christi consilio talem sese Messiam demonstrandi, qualem Zacharias quidem praedixerat, minime vero populus Judaicus exspectabat.*

Nullum profecto difficilius pensum habebat Conservator, quam ut discipulis persuaderet, tum sese esse promissum antiquitus Messiam, tum vanas esse ac prorsus repudiandas praejudicatas ipsorum, de Rege terrestri Sospitatore exspectando, opiniones. Duo enim hîc cavenda erant, quorum utrumque aeque perniciosum regno coelorum futurum fuisset; ne *vel* pertinaciter ita Messiaticis suis commentis adhaerere pergerent, ut, cum his minime responderet Jesu tenuitas, eum rejicerent, *vel* ipsius verba ac facta admirantes, ad eum notiones suas, quas de Messia animis informaverant, ita applicarent, ut eum agnoscerent quidem, sed caduca tantum ab ipso bona exspectarent, eundemque, non sine caedibus ac seditionibus, in *Davidis throno*, proprie dicto, invitum collocare conarentur. (1)

Haec cum ita essent, si Conservator, cum primum publicum munus auspicatus erat, civium hâc de re errores acerbe vituperare et palam refellere conatus fuisset; quid quaeso egisset apud multitudinem rudem, cui hae exspectationes vitâ essent cariores, quaeque nihil

(1) Qualem sibi Messiam his temporibus informarent Judaei, supra vidimus, p. 96-99.

Digitized by Google

hil mirari ſoleret, niſi quod, ad populi Judaici opes ſplendoremque augendum Romanorumque jugum quantocius ab ipſo excutiendum, vim habiturum eſſe videretur, civiumque animos, blandâ voluptatum conſequendarum ſpe ostenſâ, deliniret!

Sapientisſimo itaque conſilio verbis dicendique formulis utebatur Jeſus, quibus Judaei felicitatem a Mesſia exſpectandam ipſiusque regnum ſignificare ſolebant, eorumque aliquatenus loquendi uſum ſequebatur; quo attentiores ipſum audirent, ac ne continuo irridendum ſe et explodendum iis praeberet. Quod profecto timendum fuisſet, ſi ſe *moralem* tantum ſocietatem inſtituere velle, atque omnem felicitatis Mesſianae ſpem terrestrem ſuis cultoribus abjiciendam esſe, ſtatim aperte declarâsſet. Itaque formulae quidem, quas his de rebus uſurpabat, aequalibus non novae erant; ſed meliorem iis et ſaniorem ſententiam ſubſternebat, quam qui recte audiebant, aut nunc aut postea, perſpicere posſent. Univerſe, non minus prudenter quam conſtanter, id egit ut paullatim meliores in auditorum animis de *regno Dei*, quod exſpectandum esſet, exſisterent notiones, cavitque ne minus ſanae opiniones, quas nondum tollere poterat, in perniciosa conſilia perſequenda eos adducerent. Itaque, etiamſi publicum docendi munus, plane ut Joannes, inciperet a doctrinâ profitendâ: ἤγγικεν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν, continuo tamen docebat, μετάνοιαν potisſimum illo in regno ſectandam esſe, (Matth. III: 2, 8. coll. X: 7. Luc. X: 9.) effecitque adeo ut discipuli ac familiares ſui, verum ejus indolem non prorſus certe ignorarent. (Marc.

X:

X: 15. XII: 34. Luc. XVII: 20.) Quis est qui nesciat, quomodo sermonibus suis, oratione inprimis montanâ, item multis parabolis, nocivas in hoc genere opiniones evellere conatus sit, et quam graviter eos reprehenderit et deterruerit, qui terrestri tantum spe ducti ipsum sequerentur; (Matth. VII: 21. VIII: 19 sqq. XIX: 23. Joann. VI: 66.) item quam saepe, quominus miracula, quae ediderat, continuo promulgarentur, vetuerit! (Matth. VIII: 4. IX: 30. XII: 16. Marc. V: 43. VII: 36. VIII: 26.) Nonnunquam ea peragere noluit in conspectu populi. (Matth. IX: 23, 28. Marc. VII: 33.) Aliquando sectatorum exspectatione citius aegrotos sanavit, antequam nimis cresceret populi turba. (Marc. IX: 25.) Nunquam miracula fecit, ostentationis caussâ, (Matth. XIII: 58.) aut talia, quae ab ipso peterent Judaeorum Magnates pervicaces. (Matth. XII: 38. XVI: 1.) Daemoniacis, qui *Christum* ipsum profiteri vellent, silentium imponebat. (Luc. IV: 41. Marc. III: 12.) Quis est qui ignoret, quam saepe sese populo subduxerit, quando timeret ne praematuro honore ipsum hic prosecuturus esset! (Matth. XIV: 22. coll. Marc. VI: 45. Marc. I: 40-45. VIII: 10.) Aliquando etiam vetuit, quominus ipsum discipuli disertis verbis Messiam esse declararent; item eosdem tacere jussit de summo honore, quo in monte ipsum affectum viderant. (Matth. XVI: 20. XVII: 9. Marc. IX: 10.) (1).

Sed

(1) Haud absurde fortasse quis suspicetur, ideo Jesum nunquam declarâsse Bethlehemi, in urbe Davidicâ, se natum

Sed ne ſumma quidem Conſervatoris ſapientia efficere potuerat, ut terrestres de Mesſia notiones atque exſpectationes ex discipulorum, nedum aliorum, mentibus plane tollerentur. Quod ex iis elucescit, quae ſupra diximus. Nunc vitae fine inſtante, cum Hieroſolymam adiisſet Christus, ut hostibus ſeſe traderet, nihil ardentius cupiebat, quam ut ante abitum opus peragere posſet, in quo adhuc occupatus fuerat. Itaque nunc id diutius differre non poterat, quod memoratis de causſis nondum fecerat, ut populo ſuo *Mesſiam* ſe palam offerret. Verum eo nunc Introitu, qui Mesſianis populi opinionibus impenſe favere videri potuisſet, admirandâ cum ſapientiâ ita utitur, ut ſeſe verum quidem Mesſiam esſe demonſtret, a Prophetis promisſum, ſed talem, qualem Zacharias praedixerat, qui longe diverſus esſet a terrestri illo Rege, quem vehementisſimo deſiderio exſpectaret gens Judaica.

Huic conſilio exſequendo egregie accommodatus erat hic, quem conſideramus, eventus. Videbatur nunc Jeſus populi voto ac deſideriis cedere, regnum occupare, Regique debitum honorem atque applauſum lubentum esſe; nec unquam vulgi errorem, quo *Galilaeus* habebatur, refutâsſe; nec familiarius etiam cum matre ſuâ converſatum esſe; ne, nimis mature aut nimis late, fama de ipſo *Davidis* nepote increbresceret. Malebat enim propter doctrinae ſuae praeſtantiam ac magna illa, quae Patris nomine edebat, opera, *Mesſias* agnosci, quam propter externa rerum ſuarum adjuncta. — Sed has conjecturas judicent, qui me perſpicaciores ſunt.

Digitized by Google

benter accipere. Verum ad ἀκμὴν veluti adducitur populi exſpectatio, ut eo certius eadem labefactetur. Urbem ingreditur Christus; continuo templum adit; commovetur tota civitas; purgatur templum; aegroti nonnulli ſanantur. Verum quid nunc porro Jeſus facit, ut Regem ſeſe prodat, atque optimâ hâc utatur regni occupandi opportunitate? Num forte in templum, veluti palatium ſuum, adductus, ſicut Rex ſubditos, compellat ſectatores? Gratiasne iis agit pro obhato ſibi nunc tandem justo honore, aut ut fortiter pro Rege dimicent adhortatur, bona quaevis ex regno ſuo in eos redundatura promittens? An vero templum, locum munitisſimum, ſectatorum praeſidio defendendum, atque ex templi monte abigendum curat Senatum ejusque asſeclas? Ita profecto ſe gesturus fuisſet ille, qui Rex Judaeorum, proprie dictus, esſe et haberi vellet. Verum longe aliter Christus agit, qui ſenſim ſenſimque diminui patitur acclamantium multitudinem, nec ullâ re civium exſpectationi ſatisfacit, terrestria ſpectantium. Conſulant lectores velim, quae de Domini, templum ingresſi, factis narrant Euangeliſtae. Videant, quomodo ipſe, quaecunque faceret, ad Patris honorem tuendum hominumque, miſerorum inprimis, ſalutem promovendam referret. Et fatebuntur nobiscum, hominum fere oculis eum doctrinam repraeſentâsſe: *Non hujusce mundi meum regnum est!* (1)

Haec de ipſâ inauguratione, univerſe ſpectatâ. Sed ſin-

(1) Cff. quae, de Christi hoc die agendi ratione, diximus P. I. S. II. § 7.

Digitized by Google

singillatim nunc attendamus, quomodo metropolin suam ingressus sit Messias. Non equo insedit phalerato ac bellicoso, quem equitum turmae cingerent peditumque copiae. Sed *asino* vectus est, non contempto illo quidem eo tempore jumento, sed quo tamen Christi aetate, nullus Rex aut Imperator, de reportatâ triumphans victoriâ vel solennem pompam ducens, utebatur. Asino vehebatur, inquam, mansuetudinis ac modestiae, quâ Jesus cernebatur, signo ac veluti *symbolo*. Quod ne injuriâ dixisse videamur, omnino relegenda hic sunt, quae de eorum temporum moribus dicentem supra audivimus Schroederum, rerum sane Hebraicarum idoneum valde arbitrum. (1) Sed si *asini* usus, per se spectatus, Regis regnique indolem depingebat; haec res majorem etiam vim in meliorum spectatorum animos, aut tum aut postea certe, facere debebat, cum reputarent, a Zacharia (IX: 9.) Regem, quem mansuetum modestumque ipse praedicaret, asino insidentem esse informatum. Quo fiebat, ut quicunque ad hoc vaticinium recte animum adverterent, Principis pacifici notionem cum hujus potissimum jumenti usu sponte conjungerent, sibique dicerent: „ Noster hic Dominus ipse Rex est, quem „ Vates adumbravit, cujusque ingenium ipsa vectu„ rae ratio demonstrat." Ita rem nunc gestam cum Prophetae vaticinio conjunxisse Apostolos, non Matthaei tantum citatio (XXI: 4 et 5.) docet, sed disertus inprimis et memorabilis locus Joannis. (XII: 14.

(1) Vide Viri dicta supra pag. 64 et 65.

Digitized by Google

14-16.) (1) Nec dubitandum, quin hoc ex Magistri mente et consilio fecerint. Si enim vaticinium omnino ad Messiam est referendum, quod probare conati sumus, et si, hâc potissimum pompâ se esse τὸν Ἐρχόμενον, quem promisisset Deus, demonstrare voluit Christus; hoc etiam in sapientissimis ejus consiliis non esse non poterat, ut ad Vatis dictum discipulorum animis conversis, eos a terrestri, quam alebant, spe avocaret. (2) — Ut paucis rem comprehendamus: ita demum, ut par est, Christi hìc sapientiam cognoscemus, si vectum eum esse cogitamus et asino, modestiae, quâ ipse emineret, imagine, et eâ ratione, quâ vectum iri mansuetum Regem ac pacificum Zacharias praesignificâsset. Sic igitur eum se demonstravit Sospitatorem, qui non id ageret, ut Romanorum jugo cives liberaret, aut perituros sibi compararet triumphos, sed ut *conservaret*, *quod perditum erat*, atque omnibus *requiem* daret *laborantibus atque onustis*. Ecce! Messiam vident omnes, non talem, *qua-*

(1) Vidd. quae de utroque loco supra diximus p. 76-80; ubi etiam cl. de Wette refutare conati sumus, qui iis temporibus nondum de Messia acceptum esse hoc Zachariae dictum, statuit.

(2) Paullo aliter symbolicam agendi rationem Jesu tribuit cl. Paulus l. l. item Eckermannus l. l. p. 90. cujus haec sunt verba: „ *Der Einzug Jesu in Jerusalem, den* „ *er jetzt gerade hielt, da er zu wiederholten malen gesagt* „ *hatte dass er um zu leiden und zu sterben nach Jerusalem* „ *gehe, war eine Symbolische, bedeutende, bildlich lehrende* „ *Handlung.*"

Digitized by Google

*quales ſunt in Regum domibus, qui molles gestant vestes*; (Matth. XI: 8.) ſed eum, de quo cecinerat Jeſaias: (XLII: 3, 4. coll. Matth. XII: 19, 20.) *Non rixabitur nec clamabit, nec ejus vocem quiſpiam per plateas audiet: quasſatam arundinem non perfringet, neque fumigans ellychnium exſtinguet.* (1)

## § III.

### *De Christo, per huncce Introitum, ad mortem ex Patris voluntate ſubeundam, ſibi viam ſternente.*

Per omnia, quae Christus hâc in terrâ vel dicebat vel agebat, Patris conſilium, hominibus ſalutare, exſequi volebat. Ipſi enim gravisſimum divinitus demandatum erat munus, quod ita lubenter ac ſtudioſe obibat, ut ſi ejus, qui ipſum miſerat, voluntatem facere ejusque opus perficere posſet, hoc *cibi ſui* inſtar haberet. (Joann. IV: 34.) Hoc vero *opus* non in eo tantum cernebatur, ut homines doceret, verbisque ac factis, Mesſiam et Conſervatorem ſe iis probaret atque offerret; ſed aliud quid etiam complectebatur, cum priore penſi parte conjunctisſimum quidem, nequaquam tamen cum eâ confundendum. Debebat enim ex Dei voluntate, hominum causſâ ac vice, morte crudelisſimâ ſubeundâ, Patri obedientem ſe praeſtare. Venerat quippe *ut vitam ſuam daret* λύτρον ἀντὶ πολλῶν.

(1) Ita Matthaei locum interpretatur Castellio.



Digitized by Google

λῶν. (Matth XX: 28.) Decebat filium hominis ὑψωθῆναι. (Joann. III: 14. coll. XII: 32-34.) *Potestatem* habebat *vitam ponendi, itemque potestatem eam rursum sumendi. Hoc enim praeceptum a Patre suo* acceperat. (Joann. X: 18.) Hanc autem necem eo tempore atque eo modo subire volebat, quo a Deo id constitutum fuerat, *ut Patrem ab ipso amari, atque ita eum facere sicuti ipsi Pater praecepisset, mundus cognosceret.* (Joann. XIV: 31.)

Noverat cum maxime Sospitator, proxime jam τὴν ὥραν suam appropinquâsse tempusque a Deo definitum, quo hic vellet ut moreretur. Quare nunc ipse Patri obediens, omnia morti suae praeparabat, omnesque mortis περιστάσεις, adjuvante peculiari Dei Providentiâ, ita moderabatur, ut justo tempore, vitâ pro hominibus traditâ, huic quoque gravissimi sui muneris parti satisfaceret. In iis autem rebus quae, Deo Christoque moderantibus, huic moriendi viam sternere deberent, praecipuum locum occupat hic, de quo dicere instituimus, festus Introitus. Videamus itaque, quam vim ipse habuerit, cum in Jesu *inimicos*, tum in ejus *sectatores*, tum denique in *Judam* proditorem.

*Inimicorum* quidem, Magnatum inprimis Judaeorum, animos hâc prae caeteris re contra se exacerbavit Christus. Nunc enim eorum minas ac furorem se minime extimescere demonstrabat. Eorum edictâ, quae sacrosancta ipsi habebant, illudere videbatur. Majorem sibi, quam ipsis, apud populum auctoritatem esse, luce clarius nunc iis probabat. Jam certius, quam un-

Digitized by Google

unquam antea, apparebat, quam magna populi pars a Proceribus ad Christum defcivisfet. Hoc potisfimum die eorum auctoritati ac jusfis palam hic refistebat; populi ducem aperte fe monftrabat; huic ut fefe, posthabitis facerdotibus, fequeretur, auctor efse videbatur; quin omnibus, qui fe repudiarent, excidium minabatur. Non mirum profecto, Pharifaeos, cum Christum folenni pompâ deductum viderent, vehementisfimâ cum indignatione: *Totus istum orbis fequitur*, exclamâsfe, neque ullum amplius irae fuae modum ftatuisfe. Si antea jam acerrimo Christum odio profecuti erant, nunc in furorem ac rabiem eorum convertebatur malignitas. Quae cum ita essent, illo potisfimum die prudentior quisque rerum fpectator certo praevidere poterat, eos, qui nuper tam infestis animis Prophetae Nazarethani caedem decrevisfent, jam multo magis, et metu adactos et furore, primam quamque, quae offerretur, arrepturos esfe occafionem, ut ipfo potirentur, ejusque fanguine profufo fuam fedarent iram violentisfimam. Quae omnia cum confideramus, dubitare non posfumus, quin hicce Ingresfus, concitandis in ipfum Magnatum animis, mortem Christo maturaverit.

Sed videndum quoque nobis est, quam vim idem eventus in Sospitatoris habuerit *fectatores*. Horum fane plerique Christum *cibi perituri* causfâ fequebantur; eâ fpe ducti fore, ut ex ipfius regno, aut honores in fe ac divitiae redundarent, aut certe liberatio a Romanorum imperio. Sed hanc exfpectationem quam vehementer frustratus est Introitus dies! Nunc enim,



Digitized by Google

longe alio sensu quam illi vellent, Messiam sese esse, ante uniuscujusque veluti oculos Christus demonstravit. Quo factum est procul dubio, ut nonnulli ab eo prorsus desciscerent; alii multi deterrerentur, quo minus Regis in gratiam, ut ipsi quidem putabant, nimis modesti atque imbellis, quidquam periclitarentur. Quid non Galilaei potissimum, novarum rerum valde cupidi, nec Hierosolymitanos Magnates magnâ existimatione prosequentes, pro Christo facturi fuissent, si ipsorum votis hic annuere voluisset! Verum nunc, cum post Ingressum nullus Jesu conspiceretur regiae capessendae dignitatis conatus, nec ipsi quidquam fecerunt ad ejus vel honorem tuendum vel vitam defendendam. — Immo vero probabile est, ne eos quidem in Domini sectatoribus defuisse, quorum veneratio, quâ eum adhuc prosecuti essent, in odium deinceps converteretur. Suavissimam enim permultorum spem nunc fefellisse videbatur. Exspectationem, quam maxime hoc die intentam et excitatam, eodem dejecit ac prostravit. Postmodum etiam frustra sperant, fore ut illustriora quaedam miracula faciat, quibus in ipso quondam reposita exspectatio ac fiducia, quodammodo certe, alatur aut reviviscat. Etenim, si excipis sanatos in templo aegrotos, a miraculis patrandis proximis deinceps diebus abstinuisse videtur. Tandem Synedrii minis ac potestati eum succubuisse audiunt. Nunc vero fiduciae in homine, quem tam debilem viribusque imbecillem se comperisse sibi viderentur, eos puduisse probabile est. Quid mirum, si et hi, contemptu in iram inverso, Christi

si mortem vel desideraverint, vel haud inviti certe adspexerint!

Sed quod universe a nobis dictum est de multis, qui terrestres in Christo spes repositas habuerant, quas nunc dejectas viderent, hoc prae caeteris in *Judam* convenit proditorem. Aliquamdiu jam animadverterat callidissimus iste homo, civium de regno Messiae opinionibus minime favere Magistrum, neque igitur ex ejus consortio honores ac divitias sibi sperandas esse. Sed nunquam hoc tam clare perspexerat, quam eo, de quo dicimus, die. Irascentem eum videre mihi videor Domini, ut iste quidem interpretabatur, stultitiae atque ignaviae, qui tam pulchrâ occasione non melius uti sciat! Quid multa! Nunc quantocius ejus scholam relinquere constituit, quem nihil nisi mala in suos conferre velle discipulos appareat. Haec secum volvens, cum Judaeorum Proceribus in gratiam redeundi consilium jam cepisse, ac Magistro prodendo eorum sibi favorem conciliare decrevisse videtur.

Haec omnia si consideramus, liquido nobis constat, ad maturandam Christo necem, maximam vim huncce ipsius habuisse Introitum. Sed, cum hoc ex ipsius Christi consilio fieret, nonne suae ipse vitae turpiter prodigus fuisse censendus est? Minime vero. Vitae enim nostrae tutandae atque conservandae officium, quamvis sanctissimum, his tamen finibus circumscribitur, ut eodem teneri desinamus, cum primum Deum, Dominum nostrum, velle ut moriamur, certo noverimus. Christus autem, ut supra vidimus, eam sibi

nunc

Digitized by Google

nunc horam instare plane sciebat, quâ, ex diserta Dei voluntate, sua mors mundi vita esse deberet. Ne dicam, non minus certo novisse Conservatorem nostrum, non vitam tantum ponendi, sed et rursus eam sumendi, sibi potestatem divinitus factam mandatumque adeo esse datum. Quare idem ille, qui adhuc non raro inimicorum persecutiones effugerat, nunc eorum irae ac furori victimam se tradere parat. Quâ in re et Patri obedientiam et hominibus amorem praestitit, omni laude majorem. (1)

## § IV.

*De Christo, per huncce Ingressum, ita honorem suum tuente, ut caveret, ne ipsum, tanquam maleficum, clam trucidarent inimici.*

Sicuti modo vidimus, per Introitum suum, ex Patris consilio, ad moriendum veluti viam sibi sternere Christus volebat. Sed ipsum cavere oportebat, ne malae suspicionis macula, nullâ cum veri specie, intaminatae suae virtuti illini posset. Fingamus Christum, quamdiu posset, ad horam usque quâ prehenderetur, Judaeos effugisse eorumque se oculis subduxisse, quid huic rei consequens futurum fuisset? Non potuisset non, per hanc pusillanimitatem, vel integerrimorum ipsius amicorum fides ei habita diminui. Pharisaeis vero et omnino hostibus suis maxime speciosam ita datu-

(1) Egregie hanc Christi obedientiam illustravit ac vindicavit celeb. Clarisse, in oratione de loco Joann. X. 18b. *Sacr. Sermonum Nov.* T. I. p. 281 sqq.

Digitized by Google

turus fuisset novarum calumniarum excogitandarum opportunitatem. Quam studiose hâc Jesu imbecillitate usi fuissent callidissimi ac malignissimi homines, ut ipsum falsum Prophetam jactarent, qui pudore nunc suffusus non amplius Messiam se profiteri auderet, quique ita et ignavus esset et malae conscientiae voce deterritus, ut ab impio consilio suo jam desistere coge-retur! Huic itaque, vel amicorum offensioni, vel inimicorum malitiae, ita occurrendum erat, ut palam talem, se demonstraret, qualem se esse dudum nec tamen coram omnibus, professus erat.

Verum peculiares accedebant rerum περιςάσεις, quae Christo nunc potissimum honoris sui tuendi officium imponerent. Hierosolymae principatum rerum tenebant acerbissimi ejus hostes, atque ex horum nutu plerique cives pendebant, quibus universe haud valde cognitus ipse erat. Hâc in urbe, ante paucos menses, virulenta quaevis in eum convicia congesserant; ibi Samaritanum ipsum dictitârant talemque, qui malo genio ducendum se daret. Ibidem tantâ acerbitate eum vel capere vel trucidare adeo conati erant, ut ipse, cui tum moriendi tempus nondum venisset, aliorsum fugiendo, sanguinolentas eorum manus effugere deberet. Ab eo tempore infestissimam sibi urbem non adierat; sed in ejusdem tamen viciniâ Lazaro vitam reddiderat. Verum haec ipsa res novo veluti aculeo pupugerat pessimos homines, Hierosolymae degentes. Quare, ut impedirent quominus metropolin ille adiret aut in ejus viciniam reverteretur, atque ut eo certius clanculum ipso potirentur, decretum

tum promulgârant, quod antea attigimus, quo civium unumquemque Nazareni, quod isti esse putabant, latibulum ostendere jubebant. — Haec dum gerebantur, appropinquabat Paschatis festum, quod constanter pio animo celebrare Jesus consueverat. Hoccine nunc non adibit? At vero non potuit honeste ab eo abesse. De hâc enim Christi absentiâ quam insolenter triumphati fuissent inimici; nunc certe per decretum suum deterritum esse Nazarenum putantes! Quantopere hanc, quam de ipso reportâssent victoriam, jactaturi fuissent! Et vero quam acerba hinc exstitisset tristitia piis amicorum Christi, Apostolorum inprimis animis! — Sed quaerat quis, quidni nunc, sicuti antea fecerat, (Joann. VII: 10.) sine ullo comitatu festum adierit? Hoc si fecisset, consilium suum verosimiliter assecuti fuissent isti, quo decreverant ἵνα τὸν Ἰησοῦν κρατήσωσι δόλῳ καὶ ἀποκτείνωσιν, μὴ ἐν τῇ ἑορτῇ. (Matth. XXVI: 4, 5.) Etsi enim minime eorum nos poenitet, quae de Introitu solenni diximus, qui Jesu mortem maturaverit, et certo nobis persuasum habemus, per hunc inprimis eventum factum esse, ut destinato divinitus tempore ille moreretur; nihilominus tamen affirmare iidem non dubitamus, licet non intercessisset haec opportunitas, Christi tamen caedem quaesituros fuisse Proceres, Lazari in vitam revocati haud oblitos.

Sumamus itaque, non palam, nec tantâ comitante multitudine, Hierosolymam ingressum esse Jesum. Verisimillime dolo tum ipsum prehensuri fuissent, antequam in publicum prodiisset: et, nisi forte continuo clan-

Digitized by Google

clandestinâ caede in carcere eum trucidare placuisset, *post elapsum festum*, ubi abierant ejus amici et decrescere ejus factorum fama inceperat, ex suo arbitrio, ultimo eum supplicio affecturi fuissent. Erant enim hi et malignissimi in Conservatorem et iidem pessimi homines; qui, si clam eum judicare et condemnare et interficere potuissent, de ejus dictis, responsis ac confessione, nulla non mendacia in vulgus sparsuri fuissent. Verum his similibusque Judaeorum consiliis obicem posuit, moderantibus Deo ac Christo, hujus solennis Introitûs dies. Sponte enim patet, neque dictu opus est, hâcce horâ, quâ tanta eum cingeret multitudo, nihil quidquam in eum moliri potuisse, quamvis malignos, Proceres. Sed et aliud quid hic animadvertendum est, quo pateat, non hocce uno die terminatam esse hujusce pompae vim et efficacitatem. Nimirum nunc demum videbant, quali ac quanto favore Prophetam Nazarethanum prosequeretur plebs innumera. Atque haec ipsa res *seditionis*, si ille caperetur, exstiturae talem eorum animis metum ac formidinem injiciebat, ut a Jesu proximis diebus prehendendo, inviti retinerentur ac deterrerentur. Quo ipso factum est, ut ad illam usque horam salvus atque incolumis maneret Christus, quo Judae proditio improvisam prorsus eum sine tumultu capiendi opportunitatem Judaeis daret; vel, rectius ut dicam, ad illam usque horam, quâ, Deo permittente et moderante, esset ἡ ἐξουσία τοῦ σκοτοῦς.

Nec dicat quispiam, ut haec refutet a nobis disputata, aut Christum reprehendat: „ Itane ille erat

„ ho-

Digitized by Google

„ honoris cupidus, ut, ipsâ etiam morte appropin-
„ quante, ejus studio duceretur?" Enimvero laudem, ab hominibus quidem, nec unquam sibi quaesiverat Christus, nec profecto nunc quaerebat. Sed vel sic tamen, per solennem in metropolin Introitum, demonstrare eum oportuit, hunc sibi murum esse aheneum, quod nil consciret sibi, nec ullâ pallesceret culpâ; itemque cavere eum decuit, ne falsissimas quasque adversus ipsum calumnias inter aequales spargere atque ad posteros propagare possent potentissimi inimici. Etenim Dei honor cum Christi, quem ad homines Legatum miserat, honore arctissime conjunctus erat. Nec opus est, ut moneamus, quam indivulso nexu cum regni coelorum commodis hominumque salute hoc copulatum esset, ut vindicaretur Christi honor, et publice ab ipso perpessiones capitisque supplicium perferrentur. Etenim, nisi per festum huncce Introitum clandestinae caedis periculo ac certâ exspectatione liberatus esset, nec coram Pontio Pilato potuisset τὴν καλὴν ὁμολογίαν μαρτυρεῖν, nec ab eodem solenni saepiusque repetito innocentiae testimonio ornari; nec per magnanimitatem, quâ mortem subiit crudelissimam, bonos omnes in sui admirationem rapere; nec palam *perfectum* suum esse opus testari! Quid quod ita ne Apostoli quidem, omnibus illis, quae perpessionum Christi mortisque horam illustrâssent, commemorandis, tantâ, quantam nunc demonstrabant, παῤῥησίᾳ ad fidem ipsi habendam homines commovere potuissent! Atque haec omnia si contemplamur, non possumus non divinam Christi sapientiam admirari,

quâ

Digitized by Google

quâ ductus ipſe, tali potisſimum, qualem conſideravimus, ſolenni pompâ, Palaestinae intraverit metropolin, ex cujus moenibus ſeſe, post quinque elapſos dies, contumelioſe eductum iri, certisſime novisſet!

## § V.

*De Christo, per ſolennem Introitum, ſeſe non vi coactum, ſed voluntarie mortem obire, demonſtrante.*

Conſtitit ex disputatis, Conſervatorem per memorabilem hunc actum curare voluisſe, ne aut ſerius aut aliâ ratione, quam Pater decrevisſet, periret, nec minus conſpicuâ cum innocentiae ſuae ac ſanctitatis demonſtratione, quam Dei Legatum Filiumque deceret. Sed videri nolebat impiorum inſidiis ac potentiae invitus ſuccumbere. Hujus autem rei justa ſuſpicio ne apud quempiam naſci posſet, fecit Introitus. Nunc profecto liquido apparuit, voluntarie eorum ſe manibus tradere Christum; cui nimirum perſuaſum esſet, mortem jamjam ſibi ſubeundam orbi terrarum multo magis ſalutarem fore, quam diuturnior ſua vita esſe potuisſet. Modo antea omnes, qui Jeſum profesſum esſent Mesſiam, ſacris excludere Judaeorum decreverant Proceres. Mortem jam Christo minati erant, ejusque capiendi causſâ edictum promulgârant. Verum quam exigua aut nulla potius iis auctoritas ſupererat, quâ Domino reſistere aut invito huic manus injicere posſent! Si Hieroſolymae forte cives, per

*ana-*

Digitized by Google

*anathematis* metum, aut per Prophetae maximi minus rectam suam cognitionem, cohibentur; ecce! milleni confluunt peregrini, Galilaei praesertim, Regem eum inaugurantes ac venerantes; quibus, cum primum hic eorum se indigere auxilio significaverit, multa etiam alia hominum millia aggregabuntur! Ecce eos, qui eundem illum Christum, quem trucidare decreverunt Proceres, inter medios permultos cives progredientem, corporibus suis tegunt, nihil non in ejus gratiam audere parati! Quid huic, tot fortibus viris cincto Regi, nisi sua ipsius voluntas, obstabit quominus et Synedrium abroget et de honoris locis detrubet Magnates! — Verum morti volens prudensque obviam ivit Christus. Quod ut scirent ipsius cum amici, tum inimici, iis gravissimo nunc *facto*, et semper memorando ante eorum oculis ducto spectaculo, idem illud demonstravit, quod postea Pilato, de suâ in eum potestate glorianti, *oratione* significavit, majestatis plenissimâ, cum diceret: *Nullam in me potestatem tu haberes, nisi superne tibi data esset.* (Joann. XIX: 11.) Quin hoc jam die summo jure dicere potuisset, quod in ejusdem Procuratoris professus est praetorio: *Si hujus mundi esset regnum meum, pugnavissent mei ministri, ne Judaeis traderer.* (Joann. XVIII: 36.) Sed quid multa? Ipsos enim Pharisaeos callidissimos pulchre percepisse, quid de virium suarum imbecillitate doceret Jesu Introitus, luculentissime eorum dictum docuit, qui, dum hunc intrantem videbant, *nihil se*, per sua contra ipsum decreta et molimina, *proficere* confitebantur. — Verum nemo in hanc sententiam quae di-

Digitized by Google

diximus accipiat, ac si, per solennem pompam, potentiam suam cupide et ambitiose ostentare atque obtrectatoribus ipsorum imbecillitatem atque infirmitatem cum contumeliâ objicere voluerit Sospitator. Neque enim inanis hujusmodi gloriatio in divinum conveniebat Domini nostri animum. Verum salutari ipsis pudore suffundere volebat inimicos; quorum ut nonnulli postea in Christi amicos converterentur, fortasse hujus quoque fecit diei recordatio. Quicunque autem et tum ipsi fidem habebant et postea habituri erant, his suavissimam illam et gravissimam impertire volebat consolationis materiam, quam ex firmâ persuasione de *voluntariâ* Conservatoris nostri morte in nos redundare, grati laetique agnoscimus! (1)

Haec

(1) Quae de hujus Sectionis argumento consuluimus scripta haec potissimum sunt: *Dissertatio* in opere, cui titulus: *Hessisches Hebopffer*, Vol I. p. 433 seqq. — Thomas Stackhouse: *a new History of the Holy Bible, with answers to most of the controverted Questions*, T. II. p. 1391-1395. — Jo. Guil. Rau: *Sacra J. C. natalitia pio animo celebranda.* Praemissa sunt nonnulla ad illustrandam Euangelistarum de solenni J. C. in Urbem Hierosolymam Ingressu narrationem. Erlangae. 1788. — J. M. M. Harras, *Bemerkungen über den letzten Einzug Jesu in Jerusalem*; quae dissertatio invenitur in opere J. G. Eichhornii: *Allgem. Biblioth. der Bibl. Literat.* T. X. p. 189-242. — Franc. Volkm. Reinhard: *Proeve over het plan, hetwelk de Stichter des Christendoms tot heil der wereld ontwierp, met aanteekeningen door* J. L. Wolterbeek, p. 127-135. — Wilhelm Broes: *Leerredenen*, T. I. Serm. VI.

p.

Digitized by Google

Haec erant, quae de genuinis Christi, solenniter Hierosolymam ingressi, consiliis lectoribus tradere vellem. In quibus si quid minus recte, aut minus plene dictum sit, iidem ignoscant rogo. Alia fortasse erant consilia, quae aut nos, in tantâ temporis distantiâ multarumque περιστάσεων ignoratione, perspicere non possimus, aut ego certe rite indagare non potuerim. Sed quae novimus et declarare conati sumus, haec profecto ejusmodi sunt, ut, dummodo rite perpendantur, maximâ Christi et admiratione et veneratione animos nostros imbuere debeant.

p. 194-232. — Jo. Herm. Krom: *Mijne Gronden voor het Christendom herzien en op nieuw bevestigd, gevolgd naar het Hoogduitsch van* Dr. G. S. Francke; passim. — Karl Wilh. Stein, *die Apologetik des Christenthums als Wissenschaft dargestellt*, § 66. inprimis pag. 318-320. — Joannes Clarisse: *Tafereelen uit de Levens- en Lijdensgeschiedenis van den Heere Jezus Christus*, Eerste Zestal, p. 90-99. Horum singulis non pauca nos debere, grati agnoscimus.

SEC-

# SECTIO ALTERA.

## DE IIS, QUAE CHRISTO, SOLENNITER HIEROSOLYMAM INGREDIENTI, MALE TRIBUTA SUNT, CONSILIIS.

### *Praemonenda.*

Paucisſimas profecto a Christo gestas res historia conſervavit, quae criminationum anſam dederint tam acerbarum et inſulſarum, quam hic, quem expoſuimus, Introitus. Quod hinc potisſimum derivandum est, quod, ut ſupra jam monuimus, a ſolitâ ſuâ ſentiendi agendique ratione nunc longe abire, ac laude et applauſione, quam toties ſpreverat, delectari videretur Sospitator. Sed morum etiam Orientalium ignorantia nonnullos ad pervertendam hanc historiam adduxit. Et vero non recte attenderunt multi, quam diverſae περιϛάσεις fuisſent, in quibus antea verſatus erat Jeſus, ab iis, quae nunc ipſum, morti proximum, ad agendum impellerent. Sed inprimis dolendum est, haud paucos ita nostram tractâsſe historiam, ut minime ambigue animum proderent, optimo nostro Domino infestum, aut eâ levitate abreptum, quae gravisſimarum rerum non intelligentiam parat, ſed ſcurrilem irriſionem.

Hujus generis de nostro eventu opiniones, quae quidem nobis innotuerunt, hâcce Sectione recenſebimus,

Digitized by Google

mus, et, ubi opus videbitur, refutabimus. Quod pensum, si minus est jucundum, proxime tamen cum nostro consilio conjunctum est, et ad Christi honorem vindicandum pertinet. Quod reliquum est, has, quas innuimus, sententias concinniore quodam ordine digerere frustra conati sumus, impediente ut plurimum vagâ earum ratione ac diversitate.

## § I.

### *De iis, qui Christi hunc Ingressum ludibrio habuerunt.*

Quod Paullus Apostolus scripsit de cruce ejusque doctrinâ, eam Judaeis σκάνδαλον esse, Graecis vero μωρίαν, hoc ad nostram quodammodo historiam potest applicari. Etenim non tantum Judaeorum quam plurimi, Jesu tempore viventium, hujus Introitûs modestiâ vehementissime offendebantur, sed recentiore etiam aetate fuit in iis Lipmannus quidam, auctor libri *Nizachon*, qui quaestioni, Christianis positae: „ *Si Deus est vester Christus, quare asino* „ *vectus est, animali immundo?*" (1) acriter et malitiose responderet, et ad vaticinium Zachariae (IX: 9.) calumnias congereret prorsus inanes. Ubi hoc praesertim Christianis exprobravit, quod de Nazareno hoc vaticinium explicarent, et suam hanc sententiam probare co-

(1) Huic multa opposuit Mullerus in θηρολογίᾳ *Biblicâ*, Cap. V. p. 96. sqq.

conarentur, ad crucem provocantes in asini scapulis apparentem. — Sed gentibus inprimis hicce Introitus *stultitia* videbatur. Quare hinc Christi cultores illudendi atque ignominioso cognomine notandi ansam capiebant. Refert enim Tertullianus, *in Apologiâ adversus Gentes*, Cap. X. p. 53. (ed. Antv. 1583.), *Asinarios* ab iis vocatos esse Christianos, quod Christo vecto asino fidem haberent; quin eo processisse inimicos, ut per calumniam asini caput eos colere fabularentur. Denique recentiore aetate nonnullos, Orientalium morum ignaros, ex modesto hujus Introitûs apparatu, atque inde praesertim quod asino Christus vectus fuerit, ipsius irridendi materiam petiisse video. Quod praesertim recentiores inter Deistas, qui dicuntur, Anglos fecit Charles Blount, in libro: *Annales of Reason*, p. 165. — Scherlockius, in *Dissertationum* opere, Diss. IV. fuse hosce refutavit calumniatores, quorum ratiocinationes qui cupiat cognoscere, adeat Stackhousium, in opere supra laudato. (1)

Spon-

(1) Eorum obtrectatorum voces hunc in modum proponuntur, Vol. II. p. 1391. „*To represent* the King of the Jews *riding upon an Ass, the most contemptible of all Creatures, without either Bridle or Saddle, and nothing, but an old Coat or two thrust under him, without one Person of Figure, in his Retinue, and nothing but a noisy Rabble running before and bawling out*: Hey for our King, for our King for ever! *this is making such a* Farce *of the whole matter, and setting our Saviour out in so ridiculous a Dress, as badly comports with the Gravity of his Behaviour upon all other Occasions. Well might the* Town *be in an Uproar, to*

Sponte patet, seriâ refutatione nec indigere nec digna esse scurrilia ejusmodi dicta. Et vero supra, cum de Zachariae loco, tum de asino, non contempto in Oriente jumento, eodem vero sapientissimis de causis a Christo ad solennem pompam adhibito, quantum satis videbatur, diximus. Quae nostra dicta, si tanti rem habent, consulant lectores velim.

## § II.

*De iis, qui nullum fere peculiare consilium in hocce Christi Introitu cerni statuunt.*

Fuere qui putarent, invito prorsus Jesu, factum esse, ut tam solenni ratione hicce institueretur Introitus. Existimant enim voluisse eum clam, ut solebat, urbem ingredi, sed obstitisse populum, qui asino ipsum imponeret atque triumphali pompâ in urbem introduceret; cujus itaque conatibus resistere non potuerit. Hanc sententiam propugnavit T. Morgan, in libro: *Moral Philosoph.* Vol. II. allegatus a T. C. Lilienthalio, in libro: *Oordeelkundige Bijbelverklaring*, T. XVI. p. 656.

Non longe a Morgano abiit cl. Paulus, qui *Comment.* cit. T. III. p. 80. statuit, die nostro Veneris, ita sine ullâ praeparatione Hierichunte Hierosoly-

*see a King* inaugurated *in this* mock manner; *and well might the* Mob, *when the Ferment of their Joy was over, reflect on what they had done, and turn their* Hosannas *into Crucify him.*" —

ſyniam iter continuâsſe Jeſum, ut minime tum de ſolenniore quopiam cogitaverit Introitu. Ejusmodi ſolenne quid magis cerni putat in altero ejus Ingresſu, ad posterum diem referendo. (1) Nihilo minus tamen hâc de causſâ aſinum a Christo petitum putat, quod ipſum iter facientem molesta turba premeret; item quod hâc ratione Hieroſolymae praeſertim incolis melius conſpiciendum ſe dare posſet. Quo ipſo ſignificaverit, non occulte ſed palam, ingredi ſe velle, nec quidquam ſibi ab inimicorum minis ac decretis metuere. Quod vero aſinae pullo Christus uteretur, quo nemo adhuc vectus fuerat; ideo hoc eum fecisſe putat Paulus, ut *ſymbolice* ſignificaret, novum nunc *equitem* accipere genus humanum, atque ut novum ſe demonſtraret legislatorem novaeque religionis conditorem. Quam opinionem ut confirmet, in *equitatione* ſignificationem quamdam fuisſe dicit dominii atque imperii; coll. Psalm. LXVI: 12. Judd. X: 4. XII: 14. Denique putat idem, Zachariae quoque verba Jeſu obverſata fuisſe, atque aliquid eum facere voluisſe, quod huic conveniret vaticinio, hoc nimirum ut, aſino inſidens, pacificum ſeſe Regem demonſtraret.

In clar. Pauli (ut de hujus primum ſententiâ videamus) dictis, quae vera esſe a nobis cenſeantur, ex ſupra disputatis patet. Alia autem ſunt, quae probare non posſimus. Nam non fuisſe duos ejusmodi Introitus Servatoris, quales ſibi informat Vir clarisſimus, antea demonſtrare conati ſumus. Lauda-

(1) Vid. quae de Viri ſententiâ diximus p. 21-25.



Digitized by Google

damus quidem, vera nonnulla hujus eventûs consilia ab ipso agnita esse, sed dolemus, alia non minus gravia esse neglecta. Quod vero ad *symbolicam* illam attinet *equitationem*, quam detexisse sibi videtur Vir clarissimus; si ingenii aliquam laudem habet haec ejus opinio, ex asini injugis usu ducta, veri certe nullas partes eadem habere censenda est. Primum enim Regibus Orientalibus hoc fuisse proprium, ut injugi veherentur jumento, liquido nobis apparuit. (Vidd. dicta p. 40-42.) Atque hujus moris observatio, ad hoc, de quo dicimus, nostrae historiae momentum explicandum, satis superque sufficit. Deinde etiamsi haud raro *equitâsse* antiquos Reges facile concedimus; in equitatione tamen, quâ tali, nulla cernebatur regiae dignitatis nota priva ac peculiaris. Hoc certe omnes fateantur oportet, quod, si hoc symbolo tam obscuro novae religionis conditorem se monstrare voluerit Jesus, docendi ratione usus sit admodum incertâ atque ambiguâ, quae variis potius erroribus alendis, quam verae summi Magistri sententiae prodendae, inservire deberet. Caeterum asini usum Regis *modestiam* ac *mansuetudinem* egregie adumbrâsse, atque hujus, quâ ipse cerneretur, praestantissimae dotis veluti *symbolum* fuisse, itemque regni, quod inauguraretur, quodammodo indolem depinxisse, et ipsi nos declaravimus. (Vid. p. 158-161.) Sed haec cum longe quaesitâ, quam nunc recensuimus, opinione nihil habent commune. — Quod superest, eidem Viro docto, Christum ad Zachariae nunc vaticinium respexisse putanti, prorsus assentimur. Verum quod idem existimat, Jesum po-

populo persuadere voluisse, ad se vaticinium pertinere, revera tamen longe alia spectans; haec sententia quomodo cum Domini candore ac veracitate in concordiam redigi possit, non videre me profiteor.

Sed ad Morganum redeamus, qui invitum Christum solenni pompâ deductum fuisse putabat. Multa sunt, per quae haec ejus refutari possit opinio. Primum enim, si ita res informanda esset, non sivisset profecto Dominus, ut honoris in se conferendi initium facerent carissimi sibi discipuli. Hos certe vel oculorum nutu facile retinere potuisset, quo minus, (ut hoc tantum attingam) pallia sua jumento imponerent. Deinde discipulorum civiumque voces ac gestus sibi honorificos ita probavit atque a malevolorum reprehensione vindicavit Jesus, ut, proverbio adhibito, nihil nisi quod verum esset ac diutius occultari non posset, eos professos esse affirmaret.

Sed his duabus animadversionibus, ex praesenti, quam intuemur, historiâ ductis, aliam addamus, ex Christi indole rebusque gestis petitam. Saepissime jam hic prohibuerat, quominus aut a multitudine aut ab amicis consanguineisque a suo avocaretur proposito, aut honore afficeretur, quem nunc non opportunum ipse duceret. Quod ut luculento pateat exemplo, ad ea attendamus, jam antea obiter a nobis memorata, quae Joannes narravit, *Euang.* Cap. VII. sect. 1-10. Eo illum tempore consanguinei invitârunt, ut comitantibus et ipsis et multis aliis Galilaeis, Hierosolymam ad festum proficisceretur. Sapientissimus autem Christus ex frequentiore illâ ac solenniore pom-

pâ

pâ, quâ eum ducere volebant, periculi quid sanctissimae suae causae metuisse videtur ac reformidâsse, ne hinc regni affectati contra sese suspicio exsisteret. Certe, suum tempus nondum venisse professus, in eorum consortio proficisci noluit, et quo nunc erat loco, aliquamdiu post eorum discessum, commoratus est; et postea demum (per devia forte itinera, quo mellus peregrinatorum se turbae subduceret) solus festum adiit; quod eum οὐ φανερῶς, ἀλλ' ὡς ἐν κρυπτῷ fecisse, diserte Joannes testatur. — Ex hoc sane loco patet, non invito sibi honorem obtrudi passum esse Jesum. Et vero si ad discrimen attendimus, quod inter agendi rationem intercedat, quam tunc sequebatur, et eam, quam festi Introitûs die secutus est, gravissimas esse debuisse Christo rationes, quare, longe aliter nunc quam antea, oblatum civium honorem acciperet, facile videbimus.

Sed non eo tantum, quod modo attigimus, tempore, verum per totam adeo suam vitam, eam demonstravit Jesus animi constantiam, quâ a proposito suo exsequendo nullâ omnino re, se avocari aut deterreri pateretur. Nam ne matris quidem carissimae preces ab ipso impetrare potuerunt, ut, anteaquam, justum venisset tempus, potentiae suae ederet documentum. (Joann. II: 4.) Nec magis per Joannis Baptistae desiderium atque honorificam legationem, ut citius, quam ipse decrevisset, palam se Messiam profiteretur, compulsus est. (Matth. XI: 1 sqq.) Eundem frustra Pharisaei, Herodis regno ut excederet, vitae etiam periculo astute ostenso, commovere conati sunt. (Luc. XIII:

XIII: 31 ſqq.) Nec meliore ſucceſſu ejusdem ſectae homines, in auxilium etiam advocatis Sadducaeis, ut *prodigium in coelo* ostenderet, Dominum rogârunt. (Matth. XVI: 1. aliisque locis.) Et Petro hic reſtitit (ib. ſ. 22, 23.) et caeteris discipulis, (Joann. XI: 8 ſqq.) ne malis imminentibus ſeſe Magister objiceret enixe petentibus.

Sed quid plura cumulem? Univerſa Jeſu vita documento est luculentisſimo, nullum unquam conſtantiorem quam ipſum fuisſe virum, aut propoſiti ſui tenaciorem. Quem itaque nullae unquam aut minae, aut monita, aut blandae compellationes, aut preces *mente* veluti *ſolidâ quatere* potuerant; hunccine a propoſito nunc avocârunt aut invitum coëgerunt levis multitudinis deſideria et vota? Hoc neminem, qui Christum rite cognoverit, facile ſibi perſuaſurum esſe confido.

## § III.

### *De* Caroli Frederici Bahrdtii *ſententiâ.*

Famoſus hic, proxime elapſo ſeculo, ſcriptor et alios edidit, quibus Christianam religionem infesto animo peteret, libros et eum cui, brevioribus deinceps particulis emisſo, titulum poſuit: *Briefe über die Bibel, im Volkston. Eine Wochenſchrift von einem Prediger auf dem Lande.* (Halae, a. 1782. ſq.) Hoc in libro id potisſimum egit, ut lectoribus perſuaderet,

vo-

Digitized by Google

voluisse Christum arcanam quamdam condere *fratrum* societatem, sive *fraternitatem*, cujus socii in diversos distincti essent ordines; atque his sociis primum initiatis iisdemque mox adjuvantibus, per totum terrarum orbem suam propagare doctrinam eum decrevisse. In *priore* jam libri *parte*, sive *cursu anniuo*, (praesertim pag. 685 sqq. et pag. 739 sqq.) multa fabulatus erat de conventu quopiam, quem cum hisce *fratribus* Jesus habuerit; in quo constitutum fuerit; ut quae primariae ex foedere obeundae essent partes, has in se Christus susciperet, opitulantibus interea diversâ ratione et aliis amicis et Joanne Baptista. — Sed de *alterâ* inprimis operis parte, sequenti anno editâ, nobis videndum est, ubi ea occurrunt, quae nostro cum argumento propius conjuncta sint. (Vidd. praesertim pag. 368-384.) Hic multa de Christi in deserto tentatione dicuntur, quae Judaeo cuidam viro tribuenda sit. Ex hâc tentatione, (nam Bahrdtium paullisper, non me, dicentem audiant lectores) per opportunum amicorum sive *fratrum* liberatur adventum. Hi Jesum asino impositum abducunt, cum eoque iter facientes, de ratione quâ ipse, post annuntiatam suam doctrinam, morti sese devovere debeat, colloquium habent. Mortis etenim subeundae consilium in solitudine ipse ceperat; atque hoc nunc amicis exponit propositum. Hi primum, modestiâ deterriti, judicium hâc de re suum non prodiderunt. Verum ultimo itineris die, rogante Christo quid de suo hi judicent decreto, uno omnes ore fatentur, hominum naturam id superare sibi videri; Jesus nunc ad

So-

Socratis provocare exemplum; hi discrimen inter utriusque consilium ostendere. Ille deinceps mori se velle dicit, ut legi obediens mundo prosit, nec fructum diminui patiatur ex doctrinâ suâ natum; singillatim autem ut nece suâ totum terrarum orbem luce collustret; litem veritatem inter et errorem dirimat; virtuti tandem de vitio victoriam paret. — Sed post varia alia intermixta, se non perspicere fatetur amicus quidam, qui huic intererat colloquio, quâ ratione mortem ille velit adire. Hîc Christus primum ipsam per se veritatem satis multos sibi hostes conciliaturam esse affirmat; deinde vero alio delapsus, atque alia ex aliis volvens consilia, sese acerbissimum velle Procerum in se odium contrahere profitetur, ut hi vehementissime ab ipso reprehensi, mortem ipsi conscisciant. Sed populi favorem, qui huic consilio obicem positurus esset, objiciente amico; tandem novum consilii sui exsequendi remedium, novam, quae ad mortem ducat, invenire viam videtur Jesus, regium nempe in metropolin *Introitum*. Eum nimirum docuerat amicus, unicam tantum variis de caussis viam patere, quâ mortem in se contrahere possit; hanc nimirum ut leges contra se veluti provocet ipse, crimine quodam adversus Remp. ac magistratus perpetrato; ita enim factum iri, ut coram Procuratore Romano reus agatur. Sed id monens amicus, hâc tamen se difficultate expedire non potuerat, quod non videret, quomodo Jesus, quem nihil facturum esse praevidebat, quod suae indoli plane repugnaret, aram veluti inventurus esset, ad quam, in hominum salutem,

vic-

victimam deponeret suam vitam. Nunc itaque fusius suum exponit consilium Christus, moriendi rationem sibi patere dicens, quae nullum veri nominis crimen secum habeat conjunctum. Postquam, inquit, eo Pontifices adduxero et Proceres, ut meam vehementer desiderent necem, facile iis adversus me *juris* quandam *speciem* praebebo, quâ caedem meam a Procuratore possint requirere. Nimirum ut criminis in me speciem contraham, atque ut Synedrio me capiendi jus existat, sinam aut efficiam ut Regem me populus proclamet, ac solenniter me Hierosolymam deducat. Verum, continuo post huncce Introitum meum, criminis hâcce specie denuo me exuam, sine ullâ potestatis demonstratione aut militum praesidio urbe egrediens. Deinceps et doctorem tantum me geram et ante Pilati tribunal ita meam demonstrabo innocentiam, ut veri certe virtutisque studiosi omnes mihi maneant addicti; quamquam plebs sacerdotibus juncta meam necem vehementissime postulet. Tum vero *Fratres* secundi ordinis, huicce eventui ac meae morti rite praeparatos, hoc inprimis jubebo, ut, post fata mea, fidem mortuo Messiae habendam ubique commendent, ac praejudicatas ita opiniones et quaecunque cum *purae rationis* doctrinis non conveniant, infringant ac tollant. Cum enim dubium non sit, quin tandem Procuratorem suam in sententiam pertracturi sint sacerdotes, lubenter ipse meam depositurus sum vitam. Quid enim pretii habet unius hominis vita, cum multorum millium felicitate comparata?

Ecce! sublime consilium, quod Christo, solenniter Hie-

Hierosolymam ingredienti, tribuit Bahrdtius! Nam quae deinceps obscurius adduntur, de morte non verâ sed mortis tantum umbrâ quâdam, quam Christus subire debeat; haec, quamvis non minus profecto improbanda, cum praesenti tamen disputatione non sunt conjuncta. Addendum tantum est, eandem fere sententiam, sed brevius, a Bahrdtio commendatam esse, in *N. F. interpretatione Germanicâ.* (ad Matth. XXI: 9. annot. 122.) (1)

Non longâ sane refutatione haec indigere videntur opinionum commenta. Quae enim de *fratrum* illâ *societate*, quam condiderit Christus, auctor fabulatus est; haec accurate Reinhardus refellit. (loco supra cit.) Quod vero ad consilium attinet, quod solennis habuerit Christi Ingressus; quis est, qui non videat, quam parum hoc ipso dignum esset, ut criminis perpetrati *speciem* in se contraheret, atque ita, et Proceribus se capiendi ac condemnandi jus daret, et falsi cujusdam Messiae personâ indutâ populum deciperet? Et vero inprimis tenendum hîc est, docente rei exitu, hanc pompam criminis loco et numero non habuisse Proceres, quippe quâ, cum litem Sospitatori intenderent, minime usi sunt. Quod postea demonstrabimus. — Quid quod repugnans est ac se ipsa destruens Bahrdtii haec opinio! Si enim revera aliquid

(1) Titulum libro hunc posuit: *Das Neue Testament, oder die neuesten Belehrungen Gottes durch Jesum und seine Apostel, verdeutscht und mit Anmerkungen versehen.* Dritte Ausg. Berlin 1783.

Digitized by Google

quid commiserit Jesus, quod criminis speciem haberet, quodque et omnibus illis delictum videri deberet, qui occultum illius ignorarent consilium, et eum condemnandi *jus* daret Synedrio; non poterat profecto, ita morte subeundâ, inculpatum illum veri doctorem se probare, qui bona tantum suis sectatoribus moralia impertire vellet; neque in virtutis exemplum iis proponi haec poterat ejus mors, in quam tam speciosa criminis suspicio conveniret. Quare ad propositum exsequendum, quod ipsi fuisse statuitur, minime eum haec agendi ratio adducere poterat. Immo vero sic agendo civium de terrestri Messia opiniones praejudicatas confirmâsse potius, quam enervâsse censendus sit. Nam ita debebat iis falsus Messias videri, qui post frustra terrestre regnum affectatum, justissimâ poenâ occubuisset. Ponit quidem Bahrdtius, eum, post Introitum, non Regem amplius, sed doctorem tantum, se gerere voluisse. At hoc etiam facta infecta reddere non poterat, aut crimen tollere, quod contra Remp. videretur certe commisisse. Et vero nunc neminem non credere oportebat, eum, priori consilio cum excidisset, de proposito suo nunc desistere et alia deinceps moliri. Quamquam ne hoc quidem vere dicitur, quod Christus, Hierosolymam solenniter ingressus, postmodum doctorem unice se gesserit. Etenim cum templum purgaret, Pharisaeos severe reprehenderet, aliaque auctoritate suâ ageret, Messiae (quamquam non terrestris illius) personam sustinuisse omnino dicendus est.

Sed haec sufficiant ad opinionem refutandam, quam

si

Digitized by Google

si fabulae Milesiae tantum loco habeas, haud illepidam fortasse dixeris, quam vero haud sine magnâ indignatione legere possis, si hoc eam agere cogites, ut Christi, summi Legati divini, ejusdemque hominis omnium sanctissimi, intaminatam virtutem suis inquinet ac conspurcet sordibus!

## § IV.

### *De* Christophori Frederici Ammoni *aliorumque sententiâ.*

Cum Ammoni memoramus sententiam, non statuimus, utrum eandem nunc etiam profiteatur Vir cl., quem de multis sacrae doctrinae capitibus pristinas suas opiniones proximis hisce annis prorsus repudiâsse, inter omnes constat. Hic quidem ea innuimus, quae olim ab ipso prodita sunt, in libro: *Biblische Theologie*, II. Band. p. 202, 203 (Zweite verbesserte Ausg. Erlangen 1801.) ubi *Christologiam V. F.*, quam dicit, tractans, singillatim autem Zachariae Caput IX. sect. 9. interpretans; haec dicit:

„ *Die Weissagung ist ohne Zweifel messianisch,*
„ *denn sie spricht von einem Könige, der nach den*
„ *Hofnungen des Zacharias in* kurzer Zeit *erscheinen*
„ sollte. *Sie als eine bestimmte Weissagung auf Je-*
„ *sum zu betrachten, ist theils dem Zusammenhange*
„ *entgegen, theils blieb es der Willkühr Jesu über-*
„ *lassen, ob er sie an sich eintreffen lassen wollte, oder*
„ *nicht. Inzwischen ist es kaum zweifelhaft, dass*
„ *un-*

„ *unsere Stelle auf den Einzug Jesu zu Jerusalem*
„ (*Matth.* XXI: 1. *ff.*) *Einfluss hatte; allen prophe-*
„ *thischen Bezeichnungen des Messias, als eines poli-*
„ *tischen Herrschers, war der göttliche Weise stand-*
„ *haft ausgewichen, aber die gegenwärtige liess er*
„ *ganz an sich eintreffen, da einmal der Name des*
„ *Messias zur Einführung der neuen Religion unum-*
„ *gänglich nothwendig und das Bild eines friedlichen*
„ *Herrschers durch Wahrheit und Tugend mit dem*
„ *Inhalte seiner göttlichen Lehre so leicht zu verei-*
„ *nigen war.*"

Haec Viri dicta cum iis conferenda sunt, quae alibi in eodem libro (T. II. p. 378-384.) de consilio Christi mortis dixit. Statuit ibi, Jesu initio non fuisse morti se tradendi propositum, cum voluisset tantum Mosaica emendare instituta religionemque commendare; quae, abolitis sacrificiorum ritibus, iis quibus viveret temporibus magis consentanea esset. Hoc vero primarium suum consilium, cum (ex Ammoni quidem opinione) propter populi superstitionem et Messiaticas opiniones attingere non potuisset, vel a proposito suo prorsus abire debebat doctorisque munus repudiare, vel pro veritate mortem subire. Posterius hoc praetulit, virtute ac sapientiâ ductus sapientis Viri, qui moriens doctrinae suae veritatem confirmaret, civium de Messia notiones nobilitaret, ac discipulis eodem tramite progrediendi exemplum daret. — Ex memoratis adhuc Ammoni dictis elucescere videtur, eum, cum Christum sapientissimum tantummodo doctorem haberet, qui pro confirmandâ doctrinâ suâ mori vellet,

so-

ſolenni etiam ejus Ingresſui hoc unicum tribuisſe propoſitum, ut regni veritatis ac virtutis, quod condere vellet, imaginem quamdam civibus offerret. Quod quo felicius faceret, pacifici Regis, a Zacharia adumbrati, perſonam induerit.

Quod reliquum est, eandem de Christi Introitu ſententiam, quam (ad Prophetae l. c.) declarantem audiebamus Ammonum, alii quoque amplexi ſunt, ex quibus mihi innotuerunt Eckermannus, in opere: *Theologiſche Beiträge*, P. I. p. 90. et Auctor anonymus libri, qui inſcribitur: *Ausführliche Erklärung der ſämmtlichen mesſianiſchen Weisſagungen des A. T.* u. s. w. (Altenburg u. Erfurt, anno 1801.) p. 173. (1).

Sed et hujus opinionis refutatio, post ea quae ſupra aliâ opportunitate diximus, non diu nos detinebit. Itane, uno illo Introitu, duplici uſus est fraude ſanctisſimus noster Conſervator? Hoc ſane ſtatuere nos oporteat, ſi memoratis asſentiamur Viris doctis. Primum enim de industriâ in hanc cives opinionem adduxerit Christus, quod *Mesſias* ipſe esſet, quamquam hujus nominis honorem minime ſibi deberi optime ſciret. Dein-

(1) Fuisſe hunc Auctorem J. L. W. Scherer, aliquatenus jam elucescit, ex alterâ hujus operis parte, pag. 136. a nobis jam laudatâ, cui latius ſpectans titulus: *Ausführliche Erklärung der ſämmtlichen Weisſagungen des N. T. u. s. w.*, ubi nomen ſuum ita praefationi ſubſcripſit: J. L. W. Sch.; et diſerte docet etiam cl. Winerus, *Handbuch der Theol. Literat.* p. 116.

Digitized by Google

inde Zachariae vaticinium ad sese applicandum esse, per solennem huncce actum, discipulis persuadere voluerit; quamquam longe alia Prophetam spectasse haud ignoraret. Neutrum autem, aut cum sanctissimi hominis candore ac veracitate, aut cum Legati divini dignitate convenire, nobis persuasissimum est.

## § V.

*De eorum sententiis, qui Jesum hocce Introitu terrestre regnum affectare voluisse statuunt.*

Hic duo inprimis in censum veniunt auctores anonymi, quorum alter Jesum ipsum deceptum fuisse contendit, hominemque fanaticum eum dictitat, qui se revera Messiam esse, a vatibus populi Judaici annuntiatum, putaret, alter vero impostorem eundem habuit, rerum novarum cupidum. Ille operi suo titulum fecit: Horus, *oder Astrognostisches End-Urtheil über die Offenbarung Johannis, und über die Weissagungen auf den Messias, wie auch über Jesum und seine Jünger.* (Ebenezer, 1783). Hujus nomen, quoad scio, adhuc latet. Et vero in operis introitu affirmaverat auctor, omnia suum nomen detegendi conamina irrita futura esse. (1) Hic vero opusculum religioni Christianae infestissimum edidit inscriptum: *Von dem Zwecke Jesu und seine Jün-*

(1) Pleniorem libri inscriptionem aliaque nonnulla, ad eundem spectantia, videas apud Hamelsveldium: *Bijbel verdedigd*, T. III. Praef. p. VI. sq.

Digitized by Google

*Jünger; noch ein Fragment des Wolfenbuttelschen Ungenannten.* (Wolfenbuttel, 1778.) Hoc *Fragmentum*, (ita enim dicebatur) quod quinque alia praecesserant *Fragmenta Guelpherbytana*, sicuti haec, editum est a Viro celeberrimo G. A. Lessing; auctorem autem habuit Hermannum Samuelem Reimarum, virum melioris notae libris editis clarissimum. (1)

Primum nunc videamus, qualem sententiam prodat liber Horus. Hujus auctor opiniones professus est, iis haud prorsus dissimiles, quas postea propagare conati sunt scriptores Francogalli Dupuis et Volney. (2) Eatenus certe his assentitur Horus, quod et ipse religionem Mosaicam magnâ parte ductam putat ex elementorum, quae dicuntur, atque hujus universi vi-

(1) De Reimaro, horum Fragmentorum auctore, post longam eruditorum dubitationem, satis nunc constare videtur. Consulantur diarium Theotiscum: *Leipziger Literatur-Zeitung* 1825. *Intell. Blatt*, N°. 231 et 232; et, quae hujus notitias referunt et locupletant, Symbolae Belgicae: *Bijgen tot de beoefening en geschiedenis der Godgeleerde Wetenschappen*, T. XVI. P. I. p. 135. sqq. (ad A. 1826); collato rever. van Senden: *Verdediging van Bijbel en Openbaring*, p. 299 et 536 in notâ.

(2) Ille in operis: *Origine de tous les Cultes*, Tomo V.; hic in libro: *Les ruines, ou meditations sur les revolutions des Empires*, Cap. XXII. cui inprimis sese opposuit Priestley, in novâ editione operis sui: *Observations on the increase of Infidelity.*



Digitized by Google

virium naturalium consideratione; item ex mythis astrologicis, vel ex cursûs corporum coelestium descriptionibus allegoricis, quales in Aegypto praesertim et in Persarum Mithrâ invenirentur. Mosen haec in Aegypto didicisse narrationibusque suis consignâsse, Prophetas eadem scriptis suis confirmâsse contendit. Atque haec ea sunt, si Horum ducem sequaris, quae tam diu ut divina oracula homines venerati sunt, mysteria. — Sed audiamus potius, quam *Christi* imaginem duxerit auctor, quem nunc porro loquentem informabimus: „ Jesus igitur, cum populum Judaicum et a Romanis oppressum videret et a Pharisaeis, eam sibi comparavit fortitudinem, eosque nobiliores animi sensus, ductos illos ex Socratis Platonisque philosophiâ, item ex Mithrae mysteriis, ut gentem suam liberare institueret. Ex Aegyptiorum autem astrologiâ, cujus valde erat peritus, percepisse sibi videbatur, finem appropinquare septimi planetarum orbis; item ex Prophetis Hebraicis, ante illud tempus adventurum esse Messiam; unde sese esse ipsum hunc populo suo promissum Regem confecit; in quam opinionem non per Astrologorum tantum somnia et gentis suae Vates, sed per fanaticum etiam suum ingenium adductus est. Itaque, etiamsi homo nec quidquam amplius esset, originem tamen suam abscondidit, nec matrem suam agnoscere voluit; quam nimirum, de cruce etiam pendens, nullo alio nisi *mulieris* nomine compellaret. Plane autem ipsi persuasum erat, Messiam se esse, qui, ineunte novo Astrologorum mundo, regnum suum Hierosolymae conditurus esset."

„ Ex

„ Ex his facile patet, (Horo quidem opinante, quem porrò etiam loquentem audiamus) nihil non fecisse Jesum, ut propositum suum terrestre regnum occupandi populumque suum liberandi exsequeretur. Hujus rei documenta sunt in responsis, quae dedit juveni diviti, Salomae, Pharisaeis, de tributo Caesari solvendo ipsum interrogantibus, caeteris. Sed inprimis hic in censum venit festus in ipsius metropolin Ingressus, quem et ipsum, Aegyptiorum duce Astrologiâ, eâ potissimum ratione suscepit Christus." (Hoc nunc auctor explicat ex nomine: Horus, apud Aegyptios panem et frumentum notante; quod ipsum apud eos antiquitus ab asinis gestari solitum fuerit. Sed hic tam ridiculum se scriptor praebet, ut haec quidem ejus somnia benevolo meo lectori non narranda putem. Age! taedium nostrum vincamus, et summam rei exponentem, aut pessime pervertentem potius, eum audiamus.)

„ Per huncce igitur Introitum nihil aliud velle potuit Jesus, quam ut regnum sibi terrestre compararet. Cum enim Moses et Prophetae, de herŏe ex Judae tribu venturo loquentes, terrestrem Regem cogitâssent, Christus etiam aliter sese considerare non poterat. Et vero cui alio consilio, nisi regno occupando, triumphalis illa inservire poterat pompa prophetico-regia? Deinde Pharisaeis (Matth. XXI: 19) responsum dedit, cujus haec est sententia: „ Ex infantibus exercitum „ mihi comparabit Pater coelestis, per quem omnes „ mei delebuntur hostes." Tum, quam severum se dominum continuo demonstraverit, et quam cito regiâ



Digitized by Google

potestate abusus sit, templi purgatio docet. Praeterea ex omnibus, quae deinceps fecit, hoc ipsi propositum fuisse patet, ut primo festi sabbato in sanctum sanctorum penetraret; ubi se summum Pontificem regium declarare, et quo sectatores congregare volebat. Etenim in Patris aede (quae duodecim hominum millia continere poterat) multas esse habitationes affirmavit. Quin enses sibi comparaverat, quibus se contra sacerdotes defensurus erat, ipsum forte impedientes. Se enim non in coelum abiturum esse, sed in locum quemdam, quo ipsum discipuli sequi non possent, Petro significabat. Quod cum diceret, ad sanctum sanctorum respiciebat. Atque hoc ipsum illud propositum erat, quod sacerdotibus Judas proderet, atque sic irritum redderet. Itaque spe dejectus Jesus, hostiumque manibus captus et cruci affixus se in audacissimo suo suscepto frustra Deo confisum esse testabatur, hisce verbis usus: *Θεέ μου, Θεέ μου, ἱνατί με ἐγκατέλιπες;*" Haec summatim Hori scriptor, quae si non sine indignatione audire potuimus; crescet etiam justissima haec indignatio, postquam loquentem induxerimus *Fragmentorum*, quae memoravimus, auctorem.

Nam ulterius etiam insaniae progressus est ille, cujus opus paullo antea editum Hori adeo scriptor in nonnullis refutavit, Reimarus. Hic enim contendere non erubescit, impostores fuisse Jesum et Apostolos; hos autem, postquam mortui illius cadaver furto abstulissent, ita religionem finxisse Christianam, ut Magistro, cum sermones, tum vaticinia falso

tri-

Digitized by Google

tribuerent, et omnia ad regni coelestis notionem, de quo ille ne somniaverat quidem, callide componerent. Huc fere in universum redit hujusce argumentatio Fragmenti, quod tot conviciis in optimam caussam congestis et tot malae fidei documentis scatet, ut ea fusius referre me taedeat. Itaque ad ea tantum attendamus, quae de Jesu conatibus, quos vocat, regni terrestris occupandi scripsit, in quibus huncce nostrum Introitum ex scriptoris mente primarium locum obtinere sponte patet.

„ Jesus igitur (ita Reimarus) per totam vitam nihil aliud quam terrestre regnum se spectare demonstravit. Liquet hoc ex totâ narratione Euangelistarum, atque ex iis hujus rei speciminibus, quae per imprudentiam Apostoli in suis conservârunt commentariis. Sic horum etiam de terrestri regno exspectando opiniones confirmatae fuerant. Si enim Jesus terrestre condere regnum noluisset, nequaquam iis usus fuisset loquendi formulis, quae civium confirmarent exspectationes; de vero suo consilio certiorem reddidisset turbam, inprimis postquam importuno tempore exigua quaedam caterva Regem ipsum creare conata erat; nec, hoc honore tum effugiendo, effecisset ut eandem spem conservaret populus, eamque ad aliud tempus differret; non prohibuisset quominus spargeretur, ut eo latius scilicet divulgaretur eadem, miraculorum fama; non terrestres quascunque promissiones et laborum mercedes discipulis ostendisset. Quo referendum est, e. g. quod ipsius in regno mensae accubituri essent; in duodecim thronis sessuri; centies, si alicujus

rei

rei jacturam fecisſent, eam recuperaturi, caet. *Hisce* igitur artibus ad *actum* quemdam *criticum* et *decretorium* (ita enim Introitum vocat auctor) discipulorum animos praeparaverat Christus. Ejus quidem mentem metus de incerto rei exitu occupabat; quare fieri posſe ut res male cederet, antea discipulos admonuerat. Attamen cum illi virtutem ſuam ostenderent et ſe etiam cum ipſo mori velle testarentur, atque cum ipſe Hieroſolymae appropinquaret, ubi ingentem festum adeuntium turbam conſpiceret, ſuum exſequi propoſitum conatus est. Hoc ſi bene cesſisſet audax facinus, et ſi tota gens, hâc opportunitate intra et extra metropoleos muros congregata, ipſius partes secuta esſet, ſtatim ex imperio detruſisſet Synedrium et ſeptuaginta ſuos, quos antea eo conſilio elegerat, discipulos in ejus locum ſubſtituisſet. — Nunc aſinam cum pullo arcesci jubet, perſonam ſuscipit illius Regis, de quo cecinerat Zacharias, regios accipit honores, ſinitque ut populus ſe ante ipſum proſternat. Ita velut novus Rex inauguratus, urbem ingreditur; et cum totam civitatem commotam videt, unde fausta quaevis ſibi ſperat, proruit ad templum; modestiam ſuam atque manſuetudinem prorſus deponit; res novas molitur; regiâ auctoritate expellit ex atrio mercatores; ac tandem, ut aegrotantes ſanet doceatque turbam, in templum redit. Postero die Judaeorum magiſtratus contumeliis afficit, objurgat et increpat. Se ipſum *Christum* unicum eorum dominum esſe praedicat, atque abſens iis, ab ipſis ſe non reviſum iri annuntiat, niſi palam ipſum, ut divinitus datum Regem

ac-

Digitized by Google

accipiant. Verum nimia ab adſenſu populi ſperaverat Jeſus. Cum discipulos dimitteret, antequam ab itinere reverſi fuisſent ipſi, tempus regnum ſuum condendi jam adfuturum esſe putabat. Verum Joannes qui praeſertim ejus conatus fulcire debebat, mortuus erat; faex tantum populi illi adhaerebat; ejusque ficta miracula nihil fere effecerant: nam ſi unum tantum verum miraculum in conſpectu totius populi peregisſet, omnes ei nomen daturos fuisſe, ſponte patet. Itaque nunc cum Jeſus, ſeditioſâ comitante multitudine, urbem ingrederetur, omnia in templo conturbaret, Proceresque Judaeorum conviciis peteret, Senatus ſummo jure ipſo potitus est, ac ſupplicio eum affecit. Atque ita magister pariter atque discipuli ſpe ſuâ plane exciderunt." — Huc ſumma dictorum redit, quatenus cum nostro argumento conjuncta ſunt, quae, majorine dubites audaciâ an impietate, prodidit Fragmentorum auctor.

Non patitur inſtituti nostri ratio, ut omnes refellamus, cum Hori auctoris, tum *Fragmentorum* ſcriptoris calumnias. Summa tantum rerum capita ita perſequemur, ut doceamus Christum, nec per fanatici ingenii impulſum, nec per pravam ambitionem, ad regnum terrestre affectandum adductum fuisſe. Quam calumniam et ab ejus vitâ univerſe ſpectatâ depellemus, et a ſolenni potisſimum ipſius, quem conſideravimus, in metropolin Introitu. Brevitatis autem ſtudio ducti, utrumque, quem disputantem audivimus, ſcriptorem eâdem refutationis operâ complectemur. Quod eo commodius fieri poterit, quando utriusque, utut diver-

Digitized by Google

versa, commenta eodem tandem redeant, ut quaesitae nempe regiae dignitatis Jesum accusent. Hic autem conferant lectores rogo, quae supra P. II. S. I. § 2. diximus.

In universum animadvertendum est, eam, quâ Christus excelluit, modestiam ac mansuetudinem, sedati animi moderationem, calumniarum patientiam, item propositorum exsequendorum cautissimam ac prudentissimam, quam lentam fere dixeris, rationem ab ingenii fanatici fervore atque impetu quam longissime remotam fuisse. Et vero quis nescit, quam saepe sponte oblatâ, ne dicam obtrusâ, regni capessendi occasione uti noluerit Christus? Nec quidquam facilius est, quam accusationum, ex singulis nonnullis historiae locis aut Christi dictis petitarum, refutatio. Ubi, ut lectorum taedio occurramus, nonnulla tantum specimis caussâ attingemus. *Regnum* quidem *coelorum* sive *Dei* saepius commemorabat Christus; sed tale illud, ad quod fidem tantum habenti ac sincere resipiscenti aditus pateret, iis omnibus ejus ingressu praeclusso, qui terrestribus studiis tantum ac divitiis quaerendis se dederent. Hujusce regni, ad cujus felicitatem infimi quique non minus quam principes quique admitti poterant, summum beneficium in concessâ cernebatur veniâ peccatorum ac promissâ, non hujus, sed futurae vitae beatitate. Ejus autem Rex non ut sibi alii, sed ut his ipse ministraret, venerat. Tale igitur regnum quis terrestre jure dixerit? Quae de regiâ suâ potestate dicit, quod parcissime sane ac sobrie fecit, haec per modo dicta de regni naturâ satis

Digitized by Google

tis illustrantur. — Quae de Apostolis suis dixit, duodecim thronis sessuris, haec improprie intelligenda esse, contextus luculenter docet; et vero ea spectat haec promissio, quae non impraesentiarum exspectanda essent, verum ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ, quod diserte dicitur Matth. XIX: 28. — Nec sine summâ, quae cogitari potest, iniquitate quispiam dixerit, ideo tantum quominus sua miracula divulgarentur prohibuisse Christum, ut eo latius eadem increbrescerent. Primum enim non saepissime hoc vetuit, idque tali jusso, quod aliquamdiu tantum vim habere deberet, ac non nisi nonnulla ipsius spectaret magna facta. Deinde ipse suâ agendi ratione luculentissime illam refutavit, quam nunc consideramus, calumniam. Ubi enim homines, ipso invito ac vetante, ejus miraculorum sparserant famam, in loca deserta ac solitaria abiit, (Marc. I: 45. coll. Luc. V: 16.) neque omnino his opportunitatibus, ad populi applausum sibi conciliandum, usus est. Quid quod non raro, miracula edere instituens, spectatorum a se turbam dimitteret! Et vero longissime sane ab hâc remotus erat calliditate, quâ divina sua facta ambitiosa consilia exsequendi adminicula adhibuisse censendus sit: nam eo ipso tempore, ubi summo jure ad maxima, quae fecerat, miracula provocabat, hanc addidit vocem: (Matth. XI: 6.) Μακάριός ἐστιν ὃς ἐὰν μὴ σκανδαλισθῇ ἐν ἐμοί. Quo dicto eos beatos praedicavit, qui abjectâ terrestris regni spe, tenui ipsius conditione adeo non offenderentur, ut Messiam ipsum agnoscerent. Nec minus injuste Jesus ideo tantum Rex a turbâ proclamari noluisse dicitur, quoni-

Digitized by Google

niam tempus locumque huic consilio non opportunum judicaret. Enimvero loca illa deserta ac solitaria aut remotiora certe, ubi plus semel Regem eum renuntiare volebant cives, tali consilio exsequendo multo aptiora, quam metropolis, erant. *Illic* enim longe facilius ac tutius sectatores suos ad se allicere ac congregare potuisset, nec tam cito a Procerum armatâ manu opprimi, quam Hierosolymae. Sed quantopere ab his consiliis abhorreret Conservator, ita quoque demonstravit, quod ubi ejusmodi quid populus tentare volebat, semel iterumque discipulos suos, qui lubentissime plebis adjuturi fuissent conatus, a se dimitteret. (Matth. XIV: 22. coll. Marc. VI: 45 et VIII: 10.) Nec raro, ubi tale quid moliri populum sciebat, ita de regni sui indole locutus est, ut excitatam multorum spem deprimeret, effecitque ut ii, qui terrestria tantum spectarent, ipsum desererent. (Conf. speciminis loco Joann. VI: 66.) In neminem sane, qui unquam vixerit, haec quam a Christo depellimus, suspicio minus convenisse censenda est quam in eum, qui et munus suum aggrediens Insidiatori, regni terrestris spem ostentanti, dixit: ὕπαγε Σατανά, et versus curriculi terrestris finem, Jacobo et Joanni, alia omnia sperantibus, perpessionum sibi instantium ποτήριον hauriendum et βάπτισμα subeundum monstravit. — Huic calumniae, ut verbo dicam, Conservatoris nostri non vita minus, quam doctrina adversatur. *Cosmopolitae* fere, sicuti nunc diceremus, vitam egit; nullum perpetuum aut proprium sibi habuit domicilium; nullo externo conspicuus fuit splendore; prin-

Digitized by Google

principum plerumque consortio se subducens, plebejos sibi homines amicos adscivit ac familiares. Doctrina ejus plane moralis erat; nulli non regiminis formae bene conveniens; a legibus civilibus ferendis, aut politicis institutis ordinandis, plane aliena et aversa.

Sed si in Christi aut doctrinâ aut vitâ universe spectatâ nihil quidquam reperitur, quod affectatae ab ipso regiae dignitatis suspicioni faveat; quid de illâ ejus actione dicendum est, quam prae caeteris hic veluti ream agendam esse censuerunt bini, quos modo memoravimus, rei Christianae adversarii? Conservatoris solennem in Judaeae metropolin Introitum me innuere, nemo non perspicit. Itaque huic inprimis adspersam maculam eluere conemur. — Ponamus paullisper, hoc nunc, quod ei ab Hori scriptore et Reimaro objicitur, spectâsse Christum; quomodo, quaeso, minus sibi opportunum arripere potuit aut tempus aut locum, quam Paschatis, quod instabat, festum, quâ tempestate Romanorum augeri aut duplicari praesidia consueverant; quam Hierosolymam, cui acerbissimi sui praeerant iidemque potentissimi inimici, cujus nec incolas sibi faventes habebat, et unde ne confestim per Procuratoris milites expelleretur, timendum erat? — Sed ipsam rem gestam ejusque adjuncta paullo accuratius intueamur. In iis, quae Introitum praecedebant, propositi, cujus Christus accusatur, ne levissimum quidem exstat vestigium; quod si secum ipse volvisset, familiaribus certe suis, Petro, Jacobo, Joanni caeterisque non prorsus absconditurus fuisset. Enimvero cum his iter faciens, non de reg-

no

no suo loquitur, sed de instante sibi saevâ morte. Non, sicuti criminatur *Fragmenti* auctor, de ambitiosi, quod agitaret, consilii exitu sollicitum se probat, sed tristissimum mortis suae spectaculum ante discipulorum veluti oculos depingit. Nec haecce dicta a discipulis postea ficta esse, auctor iste objiciat. Nam hoc si statuas, et nihil omnino certi historiae remanet; et vero omnia ea cadunt, quae ipse Reimarus Euangelistarum narrationibus superstruxit, sive argumenta, seu commenta dicere malis. Caeterum discipulis, quorum animos metus denuo occupârat, quique anxii praegredientem sequebantur Magistrum, adeo non affirmat ad regnum se capessendum proficisci, ut iis potius, parabolâ propositâ, futurum esse significet, ut populus Regem ipsum agnoscere nolit. Quare nunc quidem abiturus sit, sed mox ad gravissimas ab eo poenas repetendas rediturus. — In convivio etiam Bethaniae pridie habito, non de throno sed de sepulchro adeundo loquitur. Quis tam stultus sit, ut regni occupandi has fuisse praeparationes putet? Quod vero hoc consilium Dominum cepisse jactant, cum tam animosos conspiceret discipulos, ut velle se unâ cum Magistro mortem adire profiterentur; turpiter temporis rationes pervertunt, atque ea, quae ultimâ demum viventis Christi vesperâ gesta sunt, huc perverse trahunt.

Quod ad ipsam attinet Introitûs horam; minime nunc terrestrem se Regem gessisse Sospitatorem, supra jam, hujusce Partis Sect. I. § 2. aliud agentes demonstravimus. Quae etiamsi ad calumniam ab hâc qui-

Digitized by Google

quidem horâ depellendam sufficere videantur; pauca tamen dictis addamus. Nihil quidquam dicit facitve Christus, ut plebis animos ad audacius aliquod facinus tentandum excitet ac stimulet. Non memorat Zachariae vaticinium, aut hoc ad sese applicandum esse, diserte nunc et ambitiose monet. Nihil dicit in solenni itinere, quod aut Romanorum imperio, aut Magistratibus infestum sit. Et ne ea quidem nunc miracula facit, quae populum in admirationem rapere possint. — Sed hoc inprimis spectemus, quomodo Christus, qui ad regiam jam urbem festâ pompâ accederet, animatum se monstraret. Incomparabilem prodens animi magnitudinem, patriae ejusque metropoleos sorti hâc ipsâ horâ illacrymatur! Quis credat eo illum temporis puncto regni affectandi consilia agitâsse, aut illius urbis Regem inaugurari voluisse, cujus veluti praesens jam animo intueretur excidium? Itane, dum audientibus ac conspicientibus sectatoribus, lamentatur eorumque patriae imminens fatum deflet; ad strenue depugnandum pro novo scilicet Judaeae Rege eos incitare vult? Insanus profecto sit oportet, qui serio haec contendere audeat!

Sed qualis est et quid agit ea, quae Christum honorifice comitatur, hominum caterva? In eâ non arma conspiciuntur aut milites. Peregrinationis potius religiosae, festis tum temporibus minime rarae, quam expeditionis militaris imaginem oblatam hic nobis conspicimus. Quietam placidamque laetitiam omnia spirant. Etsi facile largimur turbam, cum primum hoc se velle significâsset Christus, ad novas res in ejus

gra-

gratiam moliendas promptam paratamque futuram fuisse; nihilominus affirmare non dubitamus, nihil quidquam eam nunc, quo in justam hujus criminis suspicionem venire posset, fecisse aut tentâsse. Hymni sacri in adventantis Messiae laudem cantantur; vario honoris genere ipse afficitur; sed nihil omnino auditur aut conspicitur, quod seditiosum sit aut turbulentum.

Verum mox post Introitum, quid cum ipse Christus agit, tum ejus sectatores moliuntur? Hi qui, quamvis numerosi, Romanis tamen militibus nequaquam resistere potuissent, non praesidia disponunt ad Regem tutandum; ne mansisse quidem diu eodem loco congregati videntur; certe urbe egredientem Christum non iterum comitantur. — Sed de hoc potissimum ipso nobis videndum est; qui profecto ita se nunc gerit, ut si datâ operâ adversariorum accusationem falsitatis arguere voluisset, non aliter agere debuisset. Quodcumque in templo faciebat, Prophetam decebat Messiamque, qualem Zacharias informârat, non eum, qui terrenum quaereret imperium. Non sceptrum gestat regium, sed id agit ut nunc denuo Patris aedem ejusdemque honorem vindicet; sicuti ante triennium jam fecerat, ubi tamen nemo, (quod probe nobis animadvertendum est) in regni quaesiti suspicionem ipsum adduxerat. Quid porro fecerit, et antea vidimus nec nunc nobis repetendum est. Hoc praesertim tenendum est, quod recte etiam Michaëlis vidit, eum, si regnum occupare voluisset, minime sponte suâ munitissimum templi montem relinquere opor-

oportuisse. — Nec sequentibus etiam diebus, per ullum aut verbum aut factum, caducos se spectare honores demonstravit. Nam quod postea seorsim Apostolis, de gladiis emendis, dixit, (Luc. XXII: 36) hoc improprie accipiendum esse de periculis, quae jam maneant discipulos, ac cum belli apparatu certe nihil commune habere, et contextus docet et responsum, quod, non recte ipsius mentem intelligentibus, dedit amicis. — Verum quid longam consumimus in re clarâ orationem? Minime terrena sibi quaesivisse Conservatorem, docet universa ejus vita; confirmat doctrina; probat ipse hic Introitus; testificantur quaecunque mox fecit; clamant sermones, eo tempore habiti cum morti proximus esset; omnisque adeo, si quae unquam ipsi fuisset, terrena spes avolare debuisset. Profecto non ille hujusce mundi honores affectaverat, qui ultimâ vitae mortalis nocte, in gravissimis ac sanctissimis, quibus Patrem adibat, precibus, dicere potuit: τὸ ἔργον ἐτελείωσα ὃ δέδωκάς μοι ἵνα ποιήσω.

Sed tandem pro Christi innocentiâ probandâ testes excitemus locupletissimos, eos nempe ipsos, qui mox scelerato judicio capitis eum condemnandum curârunt, cum *Judaeos* tum *Romanos!* Proceres sane Judaei, quâ erant in Christum malitiâ atque acerbitate, si per Christi solennem Introitum vel levissima malae suspicionis umbra in eum convenisset, hanc sine dubio pompam prae caeteris omnibus coram Pilati tribunali excitâssent, atque invisum ipsis Nazarenum regni, his ipsis diebus, hâc ipsâ in urbe, per seditionem quaesiti, reum egissent. Ac dictu difficile est, quam

hoc

Digitized by Google

hoc malignis istis hominibus jucundum et acceptum futurum fuisset! Ita sane nequaquam iis aut Judae proditione, aut falsorum testium fraude, aut solenni ipsius Christi interrogatione atque obtestatione opus fuisset! Sed quamvis copiosas et accuratas habeamus Euangelistarum, de Christo coram Synedrio et Pilato condemnato, narrationes; vel sic tamen non comperimus, ullam hujus Ingressûs in judicio factam esse mentionem. Immo vero tota historiae ratio nexusque, a nemine tum Judaeorum ipsi hanc rem crimini datam esse, certissime nobis persuadet.

Sed *Romani* etiam ejusdem, quam in Christo veneramur, innocentiae fide dignissimi veluti testes sunt. Si enim seditionis speciem aliquam habuisset Introitus, non quievissent profecto milites Romani; sed in mediam se proripuissent turbam ovantem, eamque quantocius dispulissent; et vero tumultûs auctorem ac ducem in vincula conjecissent! Verum, quod magis etiam attendendum est, si ita res comparata fuisset, sicuti post multa saecula Hori ac *Fragmenti Guelpherbytani* auctores finxerunt; tum sane mortis sententiam, contra Christum latam, confirmare non dubitâsset Pilatus, quem cujuscunque seditionis vindicem fuisse valde severum, historia docet. (Cf. Luc. XIII: 1. sqq. Josephus, *Antiq*. L. XVIII. C. III. § 2) Nec hic potissimum Procurator iterum iterumque insontem eum declaraturus fuisset, qui in seditionis justissimam poenam incurrisset. Quae omnia cum ita sint, non possumus meritas, sicuti par est, gratias divinae agere Providentiae, quae optimam sanctissimi Conserva-

vatoris nostri caussam, per invitos etiam ipsius adversarios, vindicandam ac tuendam curaverit! (1)

---

Sed tandem finis imponendus est huic nostrae dissertationi, per quam si hoc certe effecerimus, ut macula quaedam, per summam injuriam Conservatori adspersa, elueretur, valde profecto gaudebimus. Haud sine tristitiâ plura legenda habui scripta, sanctissimae caussae inimica. Verum palam profiteri non dubito, per accuratiorem hujusce historiae tractationem, valde confirmatos esse meo in animo venerationis admirationisque sensus, quibus unicum nostrum prosequi debemus Conservatorem. Divinae enim ejus praescientiae documenta consideravimus luculentissima. — Sapientiae, quam haberet, humanâ longe majoris, praeclara vidimus indicia. — Animi in eo magnitudinem prorsus singularem admirati sumus, cum pari, nec unquam

(1) Ad *Hori* scriptorem refellendum, multa peti possunt ex egregiâ Viri celeberrimi J. F. van Beeck Calkoen dissertatione: *De ware oorsprong der Mozaische en Christelijke Godsdiensten onderzogt en verdedigd tegen derzelver nieuwe bestrijders*, Dupuis *en* Volneij; quae exstat in *Soc. Theol. Teylerianae Opp.* T. XIX. — *Fragmenti* scriptorem refutavit Semlerus in libro: *Beantwortung der Fragmente eines Ungenannten, ins besondere vom Zweck Jesu und seiner Junger.* — Caeterum consulantur Hamelsveldius: *de Bijbel verded.* T. IV. p. 57-147. et Reinhardus l. l. passim.



Digitized by Google

quam ſatis laudandâ, conjunctam modestiâ. — Ejusdem Christi benignitatem ac miſericordiam obſtupuimus, quâ gentem complecteretur indignisſimam, atque in Mesſiam ſuum ingratisſimam. — Et vero inſignem venerati ſumus ejus in genus humanum amorem, quo hujus in gratiam ſaevisſimae ſe morti traderet, quam cum diſerte praeſignificârat, tum facillime effugere potuisſet. — Ipſum autem, quem Davidis Filium et Israëlis Regem votivâ ſuâ acclamatione ſalutabat turba, nos Dei Filium et totius univerſi, Patris nomine, Gubernatorem agnoscimus; a quo clementisſimo ſupplices petimus Domino, ut divinâ ſuâ μακροθυμίᾳ et alios omnes complectatur, et hos, qui intaminatam ipſius ſanctitatem calumniari non reformident! —

QUAES-

Digitized by Google

# QUAESTIONES.

I.

Zacchaeum, quo tempore ipsum Christus adiret, dissolutis adhuc moribus fuisse, aut illicitum quaestum fecisse, ex Lucae narratione, *Euang.* XIX: 2 sqq. confici non potest.

II.

Parabola, quam conservavit Lucas, *Euang.* XIX: 11 sqq. diversa est ab eâ, quae invenitur apud Matthaeum, XXV: 14 sqq.

III.

Nequaquam secum invicem pugnare censenda sunt, quae dicunt Matthaeus, XX: 20 et Marcus, X: 35.

IV.

Non audiendi sunt, qui a Joanne, II: 14 sqq. eandem quam a Matthaeo, XXI: 12 sqq. a Marco, XI: 15 sqq. et a Luca, XIX: 45, templi purgationem narrari putant. — Ipsa etiam Marci narratio, XI: 15 sqq., ab eâ distinguenda videtur, quam apud Matthaeum, XXI: 12 sqq. et apud Lucam, XIX: 45, invenimus.

V.

Rejicienda est cl. Pauli sententia, Christum templo purgando *Zelotarum* jure ac licentiâ usum esse, existimantis.

VI.

Probanda non est cl. Goldhornii opinio, quâ statuitur, trium priorum Euangelistarum narrationes, de Christi in villâ Gethsemanes angore, male ductas esse ex loco Joannis, XII: 27, 28.

VII.

Etsi ea, quae a Joanne, XII: 20 sqq. narrantur, non ad eundem diem referenda putamus, quo solenniter Hierosolymam ingressus est Christus; minime tamen negamus, hunc eventum inter et illic memoriae proditam historiam, vinculum aliquod intercedere.

VIII.

Digitized by Google

VIII.

Arcto etiam vinculo idem conjungitur Ingressus cum eâ quaestione, quam Christo sacerdotum principes proponebant, Matthaei Cap. XXI. f. 23-28. (coll. locis parallelis.) Quin ex illo haec fere fluxisse existimanda est.

XI.

Sapienter Christus fecit, quod quaestioni, ab inimicis ipsi positae, Matthaei Cap. XXI: f. 23. disertum quidem responsum non daret, sed silentium compensaret, binis mox parabolis proditis. (Ibid. f. 28-45.)

X.

Ex Pilati cum Christo collocutione, cujus memoriam conservavit Euang. Joanneum, XVIII: 33 sqq. hujus festum Introitum illi nullam regni affectati suspicionem creâsse, apparet.

XI.

In judicandâ quaestione, quomodo factum sit, ut post Domini mortem, ipsius in vitam reditum non exspectarent discipuli, omnino attendendum est dictum Marci, IX: 10.

XII.

Quominus citandi formulas ὅτι πληρωθῇ similesque in Novo Foedere occurrentes, ubique proprie dicta de novae oeconomiae rebus vaticinia indicare existimemus, vetat haud raro locorum Veteris Foederis, quae post praegressas has formulas laudantur, comparatio ac grammatica interpretatio.

XIII.

Cum ex Simonide quaereretur: *Quid aut quale sit Deus?* non minus modeste, quam vere respondisse videtur: „ *Quanto diutius considero, tanto mihi res videtur obscurior.*" (Cic. de N. D. L. I. C. 21.)

XIV.

Praeclare dixit Poëta Francogallus:

*Loin de rien décider de cet Etre suprême,*
*Gardons en l'adorant un silence profond:*
*Sa nature est immense et l'esprit s'y confond.*
*Pour savoir ce qu'il est, il faut être lui-même.*

XV.

Ex nominibus, quae *Jehovae* tribuebant Israëlitae, puriores eorum elucescunt de Naturâ Divinâ notiones.

XVI.

Digitized by Google

XVI.

Christianae morum doctrinae praestantia cum aliis cernitur momentis haud paucis, tum hoc inprimis excellit, quod ipsius Jesu imitandum proponat exemplum perfectissimum.

XVII.

In populi Christiani institutione, sacrorum antistitem saepissime meminisse oportet illius, quod Chrysostomo debemus, moniti, βέλτιον εἶναι ἀγνοεῖν καλῶς, ἢ μανθάνειν κακῶς.

XVIII.

Augustini severiora nonnulla placita dijudicantes, *Manichaeorum* partibus eum primo tempore addictum fuisse, recordari debemus.

XIX.

Fatorum, quibus usa est Christi societas, studium, quod dicitur, *pragmaticum* a nullo Theologiae cultore, sine magno sanctissimae causae detrimento, negligi potest.

XX.

Frustra laborat Orator sacer, qui, spretâ plebeculâ, doctioribus placere gestit, aut his neglectis, auram captat popularem.

Digitized by Google

# EMENDANDA.

| | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Pag. | 3. | l. | 10 | Euangelistorum. | Leg. | Euangelistarum. |
| „ | 7. | „ | 12 | Ἰησοῦς. | „ | Ἰησοῦς. |
| „ | 8. | „ | 1 | Ἰοῦδαίους. | „ | Ἰουδαίους. |
| „ | 15. | „ | 21 | ſabbathum | „ | ſabbatum |
| „ | 18. | „ | 2 | ſabbatho | „ | ſabbato |
| „ | 34. | „ | 9 | Matth. X: 12. | „ | Matth. X: 11. |
| „ | „ | „ | 10 | Num. XXI: 2. | „ | Num. XXI: 25, 32. |
| „ | 39. | „ | 21 | Ὅ | „ | ὁ |
| „ | 45. | „ | 26 | Joann. XIII: 12. | „ | Joann. XIII: 13. |
| „ | 47. | „ | 30 | quae | „ | quam |
| „ | 53. | „ | 20 | paulo | „ | paullo |
| „ | 66. | „ | 27 | Pſalm LXXII: 9. | „ | Pſalm LXXII: 8. |
| „ | „ | „ | 5 | Pſ. CXLV: | „ | Pſ. CXLVII: |
| „ | 69. | „ | 6 | יְהוֹהָ | „ | יְהוָה |
| „ | 80. | „ | 10 | Luc. XIX: 35-31. | „ | Luc. XIX: 35-39. |
| „ | 85. | „ | 4 | 2 Reg. II: | „ | 2 Reg. IX: |
| „ | 86. | „ | 12 | Mattthaeo | „ | Matthaeo |
| „ | 90. | „ | 1 | ſect. 12. | „ | ſect. 13. |
| „ | 95. | „ | 17 | §. 1246. | „ | *deleatur.* |
| „ | 107. | „ | 27 | Hagg. | „ | Habac. |
| „ | 115. | „ | 17 | Matth. XXIII: 38. | „ | Matth. XXIII: 37. |
| „ | 123. | „ | 10 | Judd. XIX: | „ | Judd. XVI: |
| „ | „ | „ | „ | Jeſ. XXIX: 1. | „ | Jeſ. XXIX: 3. |
| „ | 127. | „ | 12 | 33-49 et praeſertim ſect. 49. | „ | 33-43 et praeſertim ſect. 43. |
| „ | 129. | „ | 1 | Luc. IX: 5. | „ | Luc. XIII: 3, 5. |
| „ | 137. | „ | 6 | ſect. 9. | „ | ſect. 10. |
| „ | 138. | „ | 3 | ſect. 10. | „ | ſect. 11. |
| „ | „ | „ | 4 | Ὅυτος | „ | Οὗτος |
| „ | „ | „ | 9 | *Galileae* | „ | *Galilaeae* |
| „ | „ | „ | 13 | πρόφήτῳ | „ | προφήτῳ |
| „ | 152. | „ | 13 | ſuam | „ | ſuum |
| „ | 172. | „ | 12 | detrubet | „ | deturbet. |

Digitized by Google

MUYDECOPER,

DE

J. C.

Hierosol.

intrante.

Digitized by Google

# EMEN

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Pag. | 3. | l. | 10 | Euangelisto |
| „ | 7. | „ | 12 | Ἰέσοῦς. |
| „ | 8. | „ | 1 | Ἰοῦδαίος. |
| „ | 15. | „ | 21 | ſabbathum |
| „ | 18. | „ | 2 | ſabbatho |
| „ | 34. | „ | 9 | Matth. X: |
| „ | „ | „ | 10 | Num. XXI |
| „ | 39. | „ | 21 | Ὅ |
| „ | 45. | „ | 26 | Joann. XIII |
| „ | 47. | „ | 30 | quae |
| „ | 53. | „ | 20 | paulo |
| „ | 66. | „ | 27 | Pſalm LXI |
| „ | „ | „ | 5 | Pſ. CXLV |
| „ | 69. | „ | 6 | יְהוֹה |
| „ | 80. | „ | 10 | Luc. XIX: |
| „ | 85. | „ | 4 | 2 Reg. II: |
| „ | 86. | „ | 12 | Matthaeo |
| „ | 90. | „ | 1 | ſect. 12. |
| „ | 95. | „ | 17 | §. 1246. |
| „ | 107. | „ | 27 | Hagg. |
| „ | 115. | „ | 17 | Matth. XI |
| „ | 123. | „ | 10 | Judd. XIX |
| „ | „ | „ | „ | Jeſ. XXIX |
| „ | 127. | „ | 12 | 33-49 et p tim ſect. |
| „ | 129. | „ | 1 | Luc. IX: |
| „ | 137. | „ | 6 | ſect. 9. |
| „ | 138. | „ | 3 | ſect. 10. |
| „ | „ | „ | 4 | Ὅυτος |
| „ | „ | „ | 9 | *Galileae* |
| „ | „ | „ | 13 | πρόφητῳ |
| „ | 152. | „ | 13 | ſuam |
| „ | 172. | „ | 12 | detrubet |

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google